DE ORDINE VITARUM
PARALLELARUM PLUTARCHI

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI MENSIS IANUARII A. MDCCCLXXV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS THEODORUS MICHAELIS

BEROLINENSIS

ADVERSARII ERUNT:

L. H. FISCHER, DR PHIL.
C. ROTHE, SOD. SEM. PHIL.
M. SCHMIDT, CAND. PHIL.

BEROLINI MDCCCLXXV.

CAROLO GOLDBECKIO

PRAECEPTORI, PATRONO, AMICO.

Inter Plutarchi Chaeronensis varia scripta unum genus est vitarum parallelarum, quae neque omnes nobis servatae sunt et nostris temporibus saepius falso cum aliis eiusdem philosophi scriptis commiscentur; nam quae interierunt, Epaminondae et Metelli vitas inter parallelas a Plutarcho positas esse, pro certo confirmari potest, quibus fortasse aliae nonnullae adiciendae sunt, quas scripsisse Plutarchum accepimus, cum contra Arati, Galbae, Othonis vitae et quae deperdita est Herculis, neque aliter fortasse Artaxerxis quae exstat cum parallelis non coniungendae sed a Plutarcho partim singulae separatim editae, partim cum aliis non tamen comparative scriptarum modo connexae sint. Illas vero parallelas non eo, quo nunc quidem in editionibus leguntur, neque eo, quo codicibus traditae sunt, ordine a Plutarcho compositas et divulgatas esse, iam pridem animadversum est. [cf. Thes. 1; Demosth. 3; Per. 2; Dio 2]. Jamque miramur, si Sintenis ad vit. Per. 2 annotationem: „Die ursprüngliche Ordnung ist schwerlich zu ermitteln.“ aut Volkmanni verba in libro de vita, scriptis, philosophia Plut. vol. I p. 78 legimus: „Ueber die Entstehungszeit der Schriften und ihre chronologische Reihenfolge habe ich so wenig, wie andere vor mir etwas ermitteln können,“ neminem adhuc diligentius in hac quaestione dissolvenda versatum esse. Extat tamen Alberti Lionii de hac re commentatio, quae primum a. h. s. XIX, deinde iterum XXXVII. Gottingae exiit, et qua singulae vitae in ordinem et numeros certos rediguntur. Sed sive casu hic libellus oblivione obrutus est, sive de

consulto eum Sintenis et Volkmannius neglexerunt, bene factum est. Nam Lionius cum recte statuisset (cpte I), duo esse genera argumentorum, quibus procederet eiusmodi commentatio, externa et interna, et cum haud multum abesset, quin intellegeret (cf. Cpt. III §. 2 et 12) — est enim in propatulo — illis externis — sunt autem haec verba quaedam, quibus alia in alia vita nonnumquam laudatur, — in Plutarchi scriptis non semper fidem esse habendam, tamen omissis et contemptis fere omnibus rationibus internis, illis solis innisus est. Sunt igitur argumenta, quibus utitur, partim aperte falsa, partim levia et suspecta, nec potest ex talibus fundamentis quicquam veri suci et sanguinis efflorescere. Quare quid mirum, „si iuvat integros accedere fontes," si iuvat denuo hanc rem aeque difficilem lubricamque atque iucundam et fructuosam perlustrare; cui iam muneri cum me subiungere ausus sim, quo tamen propter magnitudinem rerum et ambiguitatem argumentorum brevi tempore nemo satis accurate fungi possit, feci sane confidentius et nunc quidem magis inchoasse quam absolvisse totam quaestionem mihi videor. Venia igitur petenda est, quod hoc loco copiosius de iis vitis quae interierunt disputare omittam nec diligentius inquiram, numquae scripta praeterea eodem tempore Plutarchus quo parallelas ediderit, in earum vero, de quibus agam, vitarum ordine multa intacta relinquam. Disseram autem priore loco de argumentorum illorum, quibus Lionius rem disceptari posse putavit, condicione et origine, altero pro virili mea parte veterem vitarum ordinem indagare conabor.

Incidimus igitur in Plutarchi vitis saepissime in verba quaedam, quibus alia ipsius scripta nominantur, quorum pars minor ad scripta moralia quae dicuntur, maior ad alias vitas sive parallelas sive singulares pertinent. Illorum hoc loco nulla ratio habenda est [cf. Cam. 19; Per. 6, 39; Dio 2; Lys. 12, 17; Sull. 30; Brut. 25; Thes. 29; Rom. 15.], haec vero accuratius examinanda sunt, cum inde

clara et accepta lux in nostram quaestionem manare videatur, quae tamen lux re vera saepius speciosum occaecatorum ludibrium quam veritatis splendor est censenda. Atque scripsit de his iam a. 1856 H. G. Plassius disputationem laude dignam, quae inscribitur „de verborum *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται* formula eiusque consimilibus, quae saepe leguntur in Plut. vitis" ex qua, si ante quam ipse hanc rem ingrederer, cognovissem, multa in meum usum convertere potueram, sed cum iam absoluto fere hoc libello legerim, nec Plassius omnia, quae huc pertinent, complexus sit, in iis autem, quae protulit, nonnulla minus recte exposuisse videatur, laudasse hunc librum satis sit; ipsi universam de integro rem perlustremus. Atque primum quidem, ut habeamus omnia huius generis verba, quae in Plut. vitis inveniuntur,

nominantur:

vitae	Thes. et Rom.	in vita	Cam. 33.
„	Lyc. et Num.	„	Thes. 1. Ages. 4. 20. Cleom. 12. Rom. 21. Cor. 39. Caes. 59.
„	Sol. et Publ.	„	Cor. 33 (cf. Publ. 1).
„	Them. et Cam.	„	Num. 9. 12.
„	Alc. et Cor.	„	Nic. 11.
„	Tim. et Aem.	„	Dio 58.
„	Pel. et Marc.	„	Crass. 11. Fab. 19. 22 (cf. Pel. 2).
„	Arist. et Cat. Cens.	„	Cat. Ut. 1 (Fort. Alc. 13).
„	Phil. et Tit.	„	Cleom. 24. Cato Cens. 12 (cf. Tib. 1).
„	Lys. et Sull.	„	Per. 22. Nic. 28. Mar. 10.
„	Cim. et Luc.	„	Thes. 36. Per. 9.
„	Nic. et Crass.	„	(Fort. Alc. 13. cf. Nic. 1).
„	Ages. et Pomp.	„	Caes. 45. 35. Cat. min. 54.
„	Alex. et Caes.	„	Mar. 6. Brut. 9. (cf. Alex. 1).
„	Phoc. et Cato Ut.	„	(Fort. Brut. 13).
„	Demosth. et Cic.	„	Thes. 27. Phoc. 29. Cato Ut. 22.
„	Dio et Brut.	„	Tim. 13. 33. Pomp. 16. Caes. 62. 68. Cat. Ut. 73. (cf. Anton. 69).

Praeterea commemorandum est laudari, vitam Arati Phil. 8, Epaminondae Ages. 28, Scipionis maioris Pyrrh. 8, Scipionis minoris Tib. Gr. 21 et C. Gr. 10, Metelli Mar.

29, Herculis Thes. 29, verba denique ὥσπερ εἴρηται in vita Galb. 2 ad vitam Neronis referenda esse.

Harum vero sententiarum conformatio aut ea est, ut tertiam personam habeat verbum scribendi [cf. Thes. 27. 36. Num. 12. Rom. 21. Num. 9. Cam. 33. Per. 9. Fab. 22. Cor. 39. Alc. 13. Tim. 13. 33. Cat. Cens. 12. Phil. 8. Mar. 9. Pyrrh. 8. Nic. 28. Crass. 11. Ages. 4. 20. 28. Pomp. 16. Caes. 68. 59. Cato Ut. 1. 22. 54. 73. Phoc. 29. Cleom. 12. 24. Tib. Gr. 21. C. Gr. 21. C. Gr. 10. Dio 58. Brut. 9. Fab. 19. Brut. 13. Mar. 10. Nic. 11. Caes. 35. Mar. 29] aut ut primam [Per. 22. Cor. 33. Caes, 62. Ant. 69. Caes. 45]; saepissime verbum γράφειν usurpatur, nonumquam aliud velut δηλοῦν ἀκριβοῦν ἱστορεῖν εἰρῆσθαι [Per. 22. Caes. 62. 35. 45. Nic. 11. Cor. 39. Num. 12. Nic. 28. Mar. 29. Brut. 13. Alc. 13. Fab. 19]; saepius nihil ad verbum scribendi apponitur, est ubi addatur ἀκριβῶς aut μᾶλλον aut τὰ καθ᾽ ἕκαστα, τὰ καθ᾽ἕκαστον, καθ᾽ἕκαστα [Alc. 13. Tim. 13. Nic. 28. Tib. Gr. 21. Dio 58. Brut. 9. Caes. 35. Mar. 10.]; fere semper haec verba cum antecedentibus relativa particula aut pronomine coniunguntur, ut initium eorum sit, ὡς ἐν τοῖς, ὡς μᾶλλον ἐν τοῖς, περὶ οὗ δι᾽ ἑτέρων, ὃν δὲ τρόπον, aliaque similia, minus saepe exordiuntur a particulis demonstrativis, velut ἀλλὰ ταῦτα μὲν, περὶ οὖν τούτων [cf. Num. 12. Alc. 13. Tim. 13. Nic. 28. Cato Ut. 54. Per. 22]. Hae tamen omnes formulae, quodcunque est earum initium, quodcunque usurpatur verbum, sive simpliciter ac nude profertur verbum scribendi, sive aliquid adiectum habet, nisi ita cum reliquorum verborum sententia aut contextu coaluerunt, ut, deletis iis, sententiarum vincula rumpantur, si quidem tertia persona verbum pronuntiatum est, facillime ab iis, qui legebant Plut. vitas, in margine ascriptae et deinde in textum a librariis receptae esse possunt, praesertim cum in fine singulorum capitum aut vitarum saepius adiectae inveniantur. Factum hoc esse compluribus locis, ita ut omnibus, nisi graviores

causae accedant, quibus a Plutarcho ipso scriptas eas esse confirmetur, diffidendum et in hac quaestione abstinendum sit, facile puto comprobari poterit.

Nam primum videmus, in vita Caes. bis laudari vitam Bruti, primum cpte 62 his verbis: *δι' αἰτίας, ἃς ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γεγραμμένοις δεδηλώκαμεν*, deinde cpte. 68 hunc in modum: *Ἃ δὲ καί πράξαντες καὶ παθόντες ἐτελεύτησαν ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γέγραπται*, quibus ex verbis, si Plutarchi esse censentur, concludamus necesse est, Brutum ante Caesarem compositum esse; Nam tempore perfecto (*δεδηλώκαμεν, γέγραπται*) si postea vitam Bruti conscribere voluisset, Plutarchum usurum fuisse, non est putandum. Foret hoc insani hominis, qui omnes temporum et spatii rationes perturbaret, non tam intelligentis et sobrii, qualem fuisse Plutarchum sexcentis locis cognosci potest. Quod si quis in tam desperatam sententiam delaberetur, tamen ipsis Plutarchi verbis sanari posset, qui iis locis, ubi librum, quem postea conscripturus fuit, nominavit, tempore futuro utitur (Mar. 29, Caes. 35) semel praesenti, quod ferri potest (Caes. 45). Non tamen supervacaneum est, haec monere, nam Volkmannio in libro, quem de Plut. edidit vol. I. p. 104 in annot. haec verba exciderunt. „Plut. sagt Galba 2. *Νυμφίδιος γὰρ Σαβῖνος ὢν ἔπαρχος ὥςπερ εἴρηται μετὰ Τιγελλίνου τῆς αὐλῆς*. Daraus geht hervor, dass er eine Biographie des Nero entweder schon geschrieben hatte, oder doch schreiben wollte. Denn bekanntlich pflegt er auch auf erst noch zu schreibende Biographien mit einem *ὥσπερ εἴρηται* zu verweisen." Hoc mihi ignotum esse libere confiteor; collegi autem omnia exempla huius formae, quae in vitis parallelis insunt; ne unum quidem est, quod tam foedi erroris causa aut excusatio esse possit. [Lyc. 13 cf. init. eiusd. capts; Ant. 16 cf. Ant. 11; Luc. 4 cf. Luc. 1; Luc. 29 cf. Luc. 21; Luc. 42 cf. 41; Comp. Luc. et Cim. 1 cf. Cim. 4. Sull. 15 cf. init. eiusd. cpts; Sol. 13 cf. Sol. 12; Sol. 19 cf. init. eiusd. cpts.; Pelop. 9 cf.

Pel. 7; Per. 13. cf. init. eiusd. cpts; Per. 31. cf. Per. 13; Per. 37 cf. Per. 24; Them. 12. cf. Them. 5 et 11; Publ. 15 cf. Publ. 14; Tit. 12 cf. Tit. 10; Cleom. 27 cf. init. eiusd. cpts; Ant. 60 cf. Ant. 4; Alc. 20 cf. Alc. 18 et 19. Alc. 39 cf. init. eiusd. cpts; Tim. 26 cf. init. eiusd. cpts; Tim. 28 cf. Tim. 27; Dio. 10 cf. Dio. 9; Dio. 11 cf. init. eiusd. cpts; Comp. Lys. et Sull. 2 cf. vit. Lys.; Pelop. 35 cf. Pelop. 28; Alex. 23 cf. init. eiusd cpts; Demosth. 30 cf. Demosth. 29; Comp. Dem. et Cic. 4 cf. Dem. 27; Cato Cens. 15 cf. init. eiusd. cpts; Aem. 35 cf. Aem. 5; Aem. 36 cf. Aem. 35; Thes. 29 cf. Thes. 20; Rom. 19 cf. Rom. 15; Lyc. 19 cf. Lyc. 9; Lyc. 26 cf. Lyc. 5; Num. 8 cf. Num. 4; Num. 17 cf. Num. 2. Comp. Num. et. Lyc. 3 cf. Lyc. 15, quibus locis aut *ὡς εἴρηται*, aut *ὥσπερ εἴρηται* aut *ὡς εἰρήκαμεν*, aut *ὡς λέλεκται* aut *ὡς προείρηται*, quae legimus, semper ad ea quae antecedunt, ut videri potest, referenda sunt.] Atque ut ad Brutum et Caesarem redeamus, in vita Bruti cpte. 9 legimus: *ὡς ἐν τοῖς περὶ Καίσαρος ἀκριβῶς γέγραπται.* Jam si haec recte se habent, concludes, Caesarem ante Brutum editum esse; repugnant igitur verba Caes. 62 et 68 et Brut. 9 inter se. Idem fieri videmus, cum in vita Dionis 58 laudetur Timoleon [*περὶ ὧν ἐν τῷ Τιμολέοντος βίῳ καθ' ἕκαστα γέγραπται*], in Timoleonte autem bis vita Dionis [13. *ταῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖς περὶ Δίωνος ἀκριβῶς γέγραπται* et 33 *περὶ ὧν ἐν τῷ Δίωνος γέγραπται βίῳ*]. Nec aliter res se habet, cum ex prooemio vitae Thesei (cpt. 1) cognosci possit, Plutarchum, prius quam ad illa fabulosa Thesei et Lycurgi tempora descenderet, eorum vitas scripsisse quorum memoria certa historia et scriptorum testimoniis niteretur [*ἐμοὶ περὶ τὴν τῶν βίων τῶν παραλλήλων γραφὴν τὸν ἐφικτὸν εἰκότι λόγῳ καὶ βάσιμον ἱστορίᾳ πραγμάτων ἐχομένῃ χρόνον διελθόντι περὶ τῶν ἀνωτέρω καλῶς εἶχεν εἰπεῖν κ. τ. λ. ἐπεὶ δὲ τὸν περὶ Λυκούργου — καὶ Νομᾶ — λόγον ἐκδόντες ἐδοκοῦμεν οὐκ ἂν ἀλόγως τῷ Ῥωμύλῳ προς-*

αναβῆναι πλησίον τῶν χρόνων αὐτοῦ τῇ ἱστορίᾳ γεγονότες κ. τ. λ.] statuendumque sit, non posse in vitis historicis laudari nec Lycurgum, nec Numam, nec Romulum,commemoretur autem Lycurgi vita in Ages. 4 et 20 (verbis *ὡς ἐν τοῖς περὶ Λυκούργου γέγραπται*) eademque in Cleomene 12 (his verbis: *ἣν δ' ἔχει τὸ τοιοῦτον τῆς παιδιᾶς εἶδος ὠφέλειαν, ἐν τῷ Λυκούργου βίῳ γέγραπται*) laudetur Numa in Caes. vita 59 (verbis *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται*) eadem denique formula laudetur Romulus in vita Cam. 33. Videbuntur fortasse his verbis quae Thesei cpti 1 repugnant addenda esse addiditque Plassius verba Cor. 39 *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου* (sc. Numae) *γεγραμμένοις δεδήλωται*, neque tamen certo iudicio; nam quamquam verbis Thes. 1. significari videtur, omnes reliquas vitas, quas habemus vitis Lycurgi et Numae et Thesei Romulique anteponendas esse, reputandum tamen est, Plutarchum vitas eorum scripsisse (cf. Per. 1 et 2 Tim. prooem.) qui sibi et aliis praeclara virtutis specimina essent; quos cum ex omnium temporum historicorum orbe collegisset fabulosamque illam aetatem certiori memoriae subiunxisset, potuit tum demum attingere eos viros, quorum vita non ita omnibus maculis aut libidinibus libera videbatur, ita ut in Thes. cpte. 1, cum dicat, se historicorum temporum homines absolvisse, supplendum sit, eos quos sibi exempla virtutis proposuit, postponendae autem Theseo et Lycurgo nonnullae vitae sint, Antonii scilicet et Demetrii Alcibiadisque et Coriolani (cf. Dem. 1.); Quod ita re vera se habere postea, quoad fieri poterit, probaturum me ese spero. Apparet nunc quidem, Cor. illorum verborum fortasse aliam esse condicionem atque reliquorum quae commemoravimus. Itaque, his omissis, cum ea quae legimus in Bruti et Caesaris vita et quae in Dionis et Timoleontis leguntur, denique quae insunt in Theseo, Camillo, Agesilao, Cleomene, Caesare inter se coniungi non possint, duplex menti oboritur coniectura. Aut enim illa

verba in Bruto et Dione — nam Caesarem post Brutum atque post Dionem Timoleontem scriptum esse postea confirmabo — et in Cam. Ages. Cleom. Caes. ab aliis hominibus addita sunt, cum legerent Plut. vitas, aut Plut. ipse alteram vitarum recensionem fecit et in hac illa verba inseruit, quarum tamen illa una probanda, haec plane mente eicienda est. Nam primum nullum vestigium, nec in vitis ipsis, nec apud alios scriptores, relictum est, alteram a Plutarcho ipso recensionem susceptam esse. Deinde absurdum esset, si Plut. in altera recensione vitas ita mutasset, ut singula inter se dissentirent, tum vero ne posse quidem alteram recensionem factam esse permultis rebus luculenter demonstratur. Primum enim Plutarchum tantam copiam librorum edidisse constat, quas omnes provecta iam aetate composuit, ut alteri recensioni vix tempus quoddam concedi possit; tum singulae res in diversis vitis ita sibi contrariae sunt, ut vitae non possint postquam librariis traditae sunt, rursus retractatae et revisae esse. Ut pauca ex infinita exemplorum copia commemorem, alius Pericles in Cimone, alius in ipsius vita describitur (cf. Per. 10. 29. Comp. Per. et. Fab. 3. Cim. 17), aliud de morum depravatione in vita Sertor. (10) docetur, aliud in Sulla (30), aliud in Arato (51). Alio die mortuus est Pompeius, si Cam. 19. testimonio utaris, alio, si Pomp. 79. Alio die apud Salaminem pugnatum est, Plutarcho in Lys. 15 teste, alio in Cam. 19. Phocaeam si Lys. 5 sequaris ante pugnam prope Notium commissam Alcibiades profectus est, in Cariam, si Alcib. 35. Sed longum, est omnia singillatim referre, satis sit commemorare eiusmodi exempla in Plut. vitis complura inesse [cf. Cleom. 27. Demosth. 17. Crass. 3. — Dem. 36. Pyrrh. 6. — Luc. 38 Cato. Ut. 24. Brut. 5. — Marc. 9. Fab. 5. 19. — Arat. 39. Cleom. 14. 17. — Arat. 54. Tit. 9. — Cat. Cens. 17. Tit. 19. — Pyrrh. 8. Tit. 21. — Tit. 10. Pomp. 25. — Arist. 19. Cam. 19. (?) — Timol. 13. Dio 58. — Cato. Ut. 41. Comp. Nic. et

Crass. 4. Caes. 22. — Crass. 12. Pomp. 23. — Brut. 17. Caes. 66. — Demosth. 31. Phoc. 30]. Nec solum ex levioribus his discriminibus quae intercedunt inter binas aut trinas vitas concludi potest, numquam eas postquam editae essent, incudi redditas esse, sed in eadem saepe vita aut in eodem iugo vitarum inveniuntur, quae demonstrent, ne singulas quidem vitas, priusquam prodirent, a Plutarcho correctas, sed celerrime conscriptas et continuo in publicum divulgatas esse. Legimus enim in Comp. Nic. et Crass. 2 αὐτὸς δ'ὅπερ ἡμᾶς ἐν τῇ διηγήσει παρελήλυθε, Λεύκιον κ. τ. λ. Constat Plutarchum Crassum non prius edidisse quam hanc comparationem! Quid ergo? Cum in manu adhuc teneret Crassum videretque, se fugisse quiddam in vita Crassi, num hanc mutare omissaque ei inicere voluit? Immo in comparatione haec addidisse acquievit. Numquam igitur, credo, Crassi vitam iterum perpolivit aut limavit. Quid, cum in Agidis cpte 16 narretur, Cleombrotum in fanum Neptuni confugisse, Agide 18 autem, eundem ab ara Minervae surrexisse, num Plutarchum hanc vitam bis pertractasse putabimus? An vero cum in eodem cpte (22) vitae Cleom. legas plures liberos fuisse Cleomenis et Agiatidis et rursus unum (cf. cpt 38) Plutarchus ad hoc bis accessisse videtur? Nemo, puto, si in legendo animadverterit, eius modi exempla in Plutarchi vitis haud ita rara esse, de altera umquam cogitabit recensione. — Quae cum ita sint, pro explorato habendum est, omnia illa verba, quibus in Camill. 33. Ages. 4 et 20. Cleom. 12. Caes. 59. Romulus, Lycurgus, Numa laudatur, post Plutarchi tempora addita esse, ab homine aut hominibus nescio quibus Plutarchum legentibus, delendaque esse in editionibus vitarum nostris. Nec minus certo iudicio statuendum est, cum quae in Brut. 9 et Caes. 62 et 68 leguntur, sibi contraria sint, cumque Brutus, ut infra demonstrabitur ante Caesarem conscriptus sit, verba Brut, 9 ὡς ἐν τοῖς περὶ Καίσαρος ἀκριβῶς γέγραπται eicenda esse. Eadem denique senten-

tia perstandum est aut in verbis Dionis 58 aut in verbis Timol. 13 et 33 quibus Dio et Timoleon laudantur. Spero autem omnibus probatum iri, Timoleontem post Dionem editum esse; spuria igitur existumanda sunt verba Dionis (58) *περὶ ὧν ἐν τῷ Τιμολέοντος βίῳ καθ' ἕκαστα γέγραπται.*

Exposui nonnullas harum formularum laudationis inter se pugnare et quod alteri recensioni nulla venia dari potest, altera ex parte delendas esse. Huc accedunt aliae gravissimae causae, quibus auctoritas illarum imminuatur. Laudatur, ut vidimus, in Dionis cpte. 58 Timoleon verbis *περὶ ὧν ἐν τῷ Τιμολέοντος βίῳ καθ' ἕκαστα γέγραπται.* Evolvimus Timol. vitam, invenimus de morte Hicetae eiusque filiarum cpte. 32 et 33 expositum esse, copiosam vero et accuratam disputationem, quam verba Dionis promittunt, desideramus. Invenusta igitur sunt illa verba Dionis. — Iam vero in vita Timoleontis Dionysius filius quantas in miserias inciderit dominatione expulsus commemoratur, additurque *ταῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖς περὶ Δίωνος ἀκριβῶς γέγραπται.* Perscrutaberis iterum atque iterum Dionem; nihil reperies, quo illa verba Timoleontis referri possint. Leges sane vel potius concludes ex verbis Dionis 58, novercam et sororem et filium sororis Dionysii necatos et in aquam deiectos esse, sed uxorem eius ab hostibus vexatam, filias laesas et deinde per vim in mare detrusas esse, id quod traditur in vita Timol. 13 non inest in vita Dionis. Neque igitur ferenda sunt verba illa Timol. 13 *ταῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖς περὶ Δίωνος ἀκριβῶς γέγραπται,* quamquam quo errore lapsus haec quispiam adscripserit, in promptu est. Nam similia sane de Dionis affinibus et cognatis in Dionis vita (58) et de Dionysii maioris uxore Hermocratis filia, similia in vita Timol. de Dionysio minore traduntur; quae cum meminisset, quicunque haec ascripsisse putandus est, non tamen satis distincte et accurate meminisset, adiecit illa in fine Tim.

13, ut haberent posteri negligentiae eius et levitatis clarum indicium.

Atque in Caes. vita, cpte. 68 cum de Cassio et Bruto legamus: *Ἃ δὲ καὶ πράξαντες, καὶ παθόντες ἐτελεύτησαν ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γέγραπται,* per se nihil inest in his verbis quod offendat. Plutarcho tamen attribui non possunt. Nam si Plut. ipse haec scripsisset, hoc alia de causa non fecisset, nisi quod in hac vita de illorum morte et clade nihil referre vellet, quippe quae ante iam satis digesta et explanata essent. Neque igitur sanus his verbis sensus est, nisi addantur excusationis causa, quod hoc loco de nobili illa sorte Bruti et Cassii non disputetur. At vero totum cpt. 69 in extremis utriusque fatis versatur, ita quidem, ut non solum, ea quae in Bruti vita legimus breviter omnia comprehendantur, sed ut addatur etiam, Cassium eodem gladio sibi vitam exhausisse, quo Caesari vim intulerat. Insana igitur sunt illa verba, quibus in Caesare 68 ad Bruti vitam reicimur, quamquam Brutum ante Caesarem scriptum fuisse negari non potest; neque in dubium revocari potest, quin haec quoque Plutarcho abiudicari necesse sit.

Veniamus nunc ad Cat. Ut. cpt. 22 et Fab. Max. 22; Illic legimus: *Φανερᾶς δὲ τῆς παρασκευῆς αὐτῶν γενομένης, ὡς ἐν τοῖς περὶ Κικέρωνος γέγραπται, ἐν βουλῇ γνώμην προθέντος, ὁ μὲν πρῶτος Σιλανὸς ἀπεφήνατο κ. τ. λ.* quae verba corrupta esse iam vidit Sintenis, nam et hiatum in verbis *γέγραπται ἐν* non admisisset Plut., nec sententiae forma integra est, cum desit genetivus, quem coniungamus cum participio *προθέντος*. Delevit igitur Sintenis verba *ὡς ἐν τοῖς περὶ* et *γέγραπται* iniecitque *καὶ* ut evadant haec: *γενομένης καὶ Κικέρωνος ἐν βουλῇ γνώμην προθέντος*; rectissime, ut mihi videtur; nec longa opus est argumentatione; additas esse eiusmodi formulas iam supra vidimus; hoc verum loco facillime cognosci potest, primum verba in margine ascripta fuisse deinde in contextum falso recepta esse. — Illa vero, quae sunt

in Fab. 22. *πολὺ Μαρκέλλου φανεὶς ἀτοπώτερος περὶ ταῦτα, μᾶλλον δ'ὅλως ἐκεῖνον ἄνδρα πρᾳότητι καὶ φιλανθρωπίᾳ θαυμαστὸν ἀποδείξας, ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται. Ἀννίβαν δὲ λέγεται κ. τ. λ.* non a Plutarcho scripta esse apparet. Neque enim est Plutarchi profecto hiatus ille in verbis *γέγραπται. Ἀννίβαν.**)

Atque ut ad extremam harum formularum perveniamus, quae primo conspectu suspicionem commovet, in Nic. 11 est: *τοῦ μὲν γὰρ Ἀλκιβιάδου καὶ τὸν βίον ἐβδελύττοντο καὶ τὸ θράσος ὡρρώδουν, ὡς μᾶλλον ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφομένοις δηλοῦται*, quibus in verbis mirum videri potest illud tempus praesens, et si ferri hoc potest in verbo *δηλοῦται*, ut invenitur idem in vita Caes. 45 *Ἀλλ' οὗτος — δηλοῦμεν ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γράμμασι*, quo loco Pompei vita postea conscribenda significatur, mirum tamen in participio *γραφομένοις* quod ego praeterea tantum in Mar. 29 inveni ubi cum tempore futuro coniunctum est: *βέλτιον ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφομένοις εἰρήσεται.* Sed etiamsi verba illa ipsa intacta relinquamus, et ad Alcibiadis vitam postea conscribendam referamus, tamen a Plutarcho addita esse non possunt. Nam Niciae vita, quae in primis earum vitarum scripta est, quas Plut. non aliorum hominum precibus inductus sed sua sponte, ut essent verae virtutis exempla, sibi imposuit, ita conformata est, ut Alcibiadis vitam huic subiungere Plut. in animo habuisse non possit. Non mehercle ferendae essent illae innumerae repetitiones nec magis ferendum, in Nicia multa de Alcibiade ante scribi, quae magis ad Alcibiadem quam ad Niciam pertinent. Alcib. vero vita multo post illam Niciae vitam

*) Vix hic hiatus iis excusatur, quae Sintenis [de hiatu in Plut. vitis parallelis p. 8 et 9] exposuit; nam facillime evitari potuit, et si idem alio loco excusandus esset, hoc tamen loco cum verba per se suspecta sint, auferendus est. Sintenis etiam concedit [p. 10], vel eos hiatus, quibus interecedente interpunctione excusatio esset, scriptorem studuisse evitare.'

edita et aliis de causis a Plutarcho concepta est, atque illa. In vita Caesaris Plut. iam sibi proposuerat, Pompei res separatim illustrare, in vita Niciae Alcibiadem tali laude indignum existimavit. Sed de hac re postea melius iudicari poterit; nunc satis sit, suspecta vel spuria esse illa verba Nicia ὡς μᾶλλον ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφομένοις δηλοῦται, monuisse.

Jamque si omnia illa quae exposuimus animo comprehendimus, apparet fidem et auctoritatem illorum verborum ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται eorumque similium saepius esse nullam, cum partim inter se dissentiant, partim insana sint, partim sententiae formam conturbent, partim hiatum a Plutarchi sermone alienum efficiant. Inicitur ergo animo scrupulus, iis in quibus primo aspectu nihil vituperandum videtur, argumentis uti in exquirendo ordine vitarum Plutarchi. Sunt tamen quibus diffidere mea quidem sententia argutius quam rectius est. Nam ea quae spuria sunt, ab hominibus addita videntur qui legebant Plut. vitas, non quo interpolarent et mutarent Plutarchum, sed quod in legendo meminerant, alio loco se hoc in Plutarcho iam legisse; quod igitur meminerant hoc in margine ascripserunt, deinde librariorum errore haec verba cum Plutarchi ipsius coniuncta sunt (cf. Cat. Ut. 22); qua in re illi homines cum non id agerent, ut Plutarchum corrumperent aut augerent, semper utebantur tertia persona, saepissime vero illa simplici formula ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται [cf. Thes. 27. 36. Cam. 33. Per. 9. Fab. 22. Cato Cens. 12. Phil. 8. Mar. 6. Pyrrh. 8. Ages. 4. 20. 28. Pomp. 16. Caes. 59. Cat. Ut. 1. 22. 73. C. Gr. 10. Brut. 9.] qua omnino in nostra quaestione abstinendum est, et cui fidem habere negligentissimi esset hominis. Sed alia condicio earum formarum est, in quibus prima verbi persona usurpatur; his praeter Plutarchum uti non potuit, nisi qui contaminare et corrumpere eius scripta studebat, quod tamen hunc in modum umquam factum esse, nec per se veri-

simile est; nam nulla est idonea causa, cur quisqam tali modo Plutarchum mutare suscepisset; neque ullo modo demonstrari potest. Itaque equidem a Plutarcho profecta contenderim haec: In vita Per. 22 *ταῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖς περὶ Λυσάνδρου δεδηλώκαμεν*; in vita Cor. 33 *Ποπλικόλας μὲν οὖν ἐτεθνήκει πρότερον, ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γεγραμμένοις ἱστορήκαμεν,* Caes. 62 *δι' αἰτίας ἃς ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γεγραμμένοις δεδηλώκαμεν;* Anton. 69 *περὶ οὗ δι' ἑτέρων γεγράφαμεν* (quo loco ad Bruti cpt 50 respexit Plut.). Deinde vero non magis putandum est, illos homines qui Plut. legerent ascripsisse, eum hoc in alia vita expositurum esse, quod nisi ante eam legerent, nesciebant; si legerant, dicere non potuerunt, Plut. postea de hac re acturum esse. Itaque cum in Mar. 29 legamus *ὃν δὲ τρόπον ἐν Ῥόδῳ φιλοσοφῶν διητήθη βέλτιον ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφομένοις εἰρήσεται* quo loco Metelli vitam se conscripturum esse promittit, et in Caes. 35 *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφησομένοις τὰ καθ' ἕκαστα δηλωθήσεται,* ubi Pompei vita significatur, quam habemus, ad Plutarchi auctoratitem hoc utrumque revocandum esse puto. Tertium denique genus eorum, quibus diffidere nefas est, in iis versatur quae cum antecedentibus aut sequentibus verbis aut sententiis ita coniuncta sunt, ut sine totius sententiae detrimento eici non possint. Hoc cadit in verba illa Mar. 29 et Anton 69, quae iam Plutarchi esse coniecimus, cadit deinde in Marii cpt. 10 ubi legimus: *ὃν δὲ τρόπον ἀφηγήσομαι βραχέως, ἐπεὶ τά καθ' ἕκαστον μᾶλλον ἐν τοῖς περὶ Σύλλα γέγραπται,* cadit fortasse etiam in Mar. cpt. 6 (*ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται*) de quibus postea dicendum est. Postremo non intellegi potest, cur quisquam, qui legebat Plutarchi Brutum in cpte. 13 addiderit illud simplex *ὥσπερ εἴρηται* quam formulam Plutarchum ipsum saepissime usurpasse iam vidimus, quae quidem hoc loco, ut postea apparebit, ad Catonis Ut. vitam oculos removeri iubet; neque huic

igitur diffidendum puto. At vero omnibus ceteris, quae tertia persona prolatae, nec cum reliquis verbis artius coniunctae sunt, non solum plane abstinendum est, sed si ex aliis maioribus causis is ordo vitarum elucet, cui illae contrariae sunt, etiam harum, quae obstant, omnes contemnere et delere non dubito. Et sunt sane nonnullae delendae [cf. Cat. Ut. 1. 54. 73. Cat. Cens. 12. Cleom. 24. Pyrrh. 8. Tib. Gr. 21. C. Gr. 10]. Hoc tamen addere possum, me etiam illis paucis verbis quae dubitari non potest, quin recta sint, supersedere et quae inde efficiuntur aliis rationibus confirmare posse; quod non faciam, cum et illa argumenta satis certa et tota quaestio iam per se ipsa satis longa et implicata sit.

Atque ut veniamus ad alteram partem, et quo ordine Plutarchus vitas illas parallelas quadraginta sex, quae in manu sunt, scripserit et ediderit quoad eius facere possumus, exquiramus, pauca de omnibus vitis praemonenda sunt, priusquam ad singulas perveniamus. Atque coniunxit Plut. semel quattuor, Agidem scilicet et Cleomenem et utrumque Gracchum, ceteroquin binas semper vitas, Graecum sc. et Romanum hominem, singulis libris, addita comparatione, quos libros singillatim cum scripsisset, edidisse videtur. Hoc concludi potest ex prooemiis Periclis [cf. Per. 2. *τοῦτο τὸ βιβλίον δέκατον συντετάχαμεν τὸν Περικλέους καὶ τὸν Φαβίου Μαξίμου κ. τ. λ.*] Timoleontis [cf. Tim. 1. *ὧν ἐν τῷ παρόντι προκεχειρίσμεθά σοι τὸν Τιμολέοντος τοῦ Κορινθίου καὶ τὸν Αἰμιλίου Παύλου βίον.*] Pelopidae [Pel. 2. *γράφοντι τὸν Πελοπίδου βίον καὶ τὸν Μαρκέλλου*] Alexandri [cf. Alex. 1. *Τὸν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως βίον καὶ τοῦ Καίσαρος ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ γράφοντες*] Demosthenis [cf. Demosth. 3 *γράφοντι ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ τῶν παραλλήλων ὄντι πέμπτῳ περὶ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος*] Demetrii [cf. Dem. 1 *Περιέξει δὴ τοῦτο τὸ βιβλίον τὸν Δημητρίου βίον καὶ Ἀντωνίου*] Dionis [cf. Dio. 2 *Ἐν τούτῳ δὲ δωδεκάτῳ τῶν παραλλήλων ὄν-*

τι βίων]. Et quamquam nonnullis bigis vitarum comparationes deesse videmus, velut Themistocli et Camillo, Pyrrho et Mario, Alexandro et Caesari, Phocioni et Catoni Uticensi tamen in dubium vocari non potest, quin omnibus vitis, quas singulis libris coniunxit comparationem adiecerit Plutarchus. Nam id fere omnium comparationum quae servatae sunt nostris temporibus exordium et ea coniunctio cum vitis ipsis est, ut necessarias eas partes Plut. parallelarum vitarum existimasse appareat. Conferendae sunt Lyc. et Num comp. 1. *Ἀλλ᾽ἐπεὶ τὸν Νομᾶ καὶ Λυκοῦργον διεληλύθαμεν βίον, ἐκκειμένων ἀμφοῖν, εἰ καὶ χαλεπὸν ἔργον οὐκ ἀποκνητέον συναγαγεῖν τὰς διαφοράς.* — Comp. Lys. et Sull. 1. *Ἐπεὶ δὲ καὶ τούτου διεληλύθαμεν βίον, ἴωμεν ἤδη πρὸς τὴν σύγκρισιν.* — Comp. Nic. et Crass. 1. *Ἐν δὲ τῇ συγκρίσει κ. τ. λ.* — Comp. Sert. et Eum. *ἐν δέ τῇ συγκρίσει κ. τ. λ.* — Comp. Ages. et Pomp. 1. *Ἐκκειμένων οὖν τῶν βίων ἐπιδράμωμεν τῷ λόγῳ ταχέως τὰ ποιοῦντα τὰς διαφορὰς παρ᾽ ἄλληλα συνάγοντες.* — Comp. Ag. Cleom. Gracch. 1. *ἡμῖν δε ὑπολείπεται λαβεῖν ἐκ παραλλήλου τῶν βίων τὴν ἀποθεώρησιν* aliaeque. Nec mirum! Quid enim parallelis vitis magis necessarium quam comparatio? Nec bene mehercle cum Plutarcho nostra aetate actum est, quod saepius in editionibus singulae vitae, quae coniunctae erant distrahuntur aut comparationes, quasi non sint partes vitarum, omittuntur. [cf. Schoemanni editionem vitarum Agidis et Cleomenis, Sintenis edit. Themistoclis et Periclis, Buechsenschuetzii Demosthenis et Ciceronis, aliasque permultas.] Quod si quis dubitet, num omnibus libris iniectae fuerint comparationes, quod tamen nemo, cum habeamus parallelas vitas, iure facere poterit, huic aliis quoque argumentis persuaderi poterit. Nam cum quas inter primas scriptas esse, quasque in extremis cognoscamus habeant hae suam quaeque comparationem, habeantque non minus plurimae earum quae inter illas intercedunt, negare non licet, si inveniantur

perpaucae quibus desit comparatio, deesse hanc nobis quidem, adfuisse vero aequalibus Plutarchi praesertim cum plures vitas in fine aut in initio mutilatas esse iam omnibus cognitum sit. — In singulis vero libris, quorum viginti duo extant, eius semper vitam, qui tempore alterum praecedit, alteri anteposuit, quod cum ex ordine, quo singulae bigarum vitae traditae sunt, colligi potest, tum Plutarchi ipsius verbis confirmatur. Dicit enim in vita Dion. 2: *τὸν τοῦ πρεσβυτέρου προεισαγάγωμεν*, in vita Demosth. 3: *Λεκτέον δὲ περὶ τοῦ πρεσβυτέρου πρότερον*, in Tib. Gr. 3: *λεκτέον οὖν ἰδίᾳ περὶ ἑκατέρου περὶ δὲ τοῦ πρεσβυτέρου πρότερον;* quomodo cum ordinem institueret, factum est, ut fere semper Graeci hominis vita antecederet, non tamen, ut verba eius testantur, quia Graecus erat, Graecum anteposuit, et Lionius qui ordinem hunc ,ex eximia prorsus qua patriam dilexit caritate' explicandum esse putavit, longe a vero aberravit (cf. Lion. l. l. p. 31). Iam vero duo inveniuntur iuga vitarum, in quibus, qui tempore anteiit, alteri postpositus est, sequitur enim Eumenes Sertorium et Alcibiadem Coriolanus. Atque in Sertorii quidem et Eumenis vitis, quae est coniunctio prooemii (cpt. 1) cum vita Sertorii, (cpt. 2—27) negari non potest, hunc ordinem a Plutarcho ipso effectum esse; in vitis Alcib. et Coriol. cum nullum praefixum sit prooemium, ordo facillime mutari potest. Nec dubitandum, quin re vera mutandus sit; nam cum Alcib. et Coriol. vitae in extremis ponendae sint, omnium vero prioribus temporibus scriptarum ordo ordini harum repugnet, in Antonii autem et Demetrii vitis, quae non multo ante illas scriptae sunt, usitatus et praescriptus ordo inveniatur, non est putandum, in extremis bigis vitarum novam sibi normam et regulam ordinis finxisse Plutarchum. In Sertorio autem et Eumene qui fiat, ut ordo alius sit, paullo post spero elucebit. — Omnes vero parallelae vitae Sossio Senecioni (de quo Volkmanni de Plut. liber inspiciendus) missae sunt. Alloquitur enim

hunc Plut. in vita Demosth. 1 et 31, in vita Dionis, 1 in vita Thesei 1, quarum vitarum alia in primis, alia in extremis, alia in mediarum numero ponenda est; neque igitur arbitrari possumus, ad alium has scriptas fuisse atque illas, et satis constat Plut. verba in Timol. prooemio: προκεχειρίσμεθά σοι ad Sossium eundem referenda esse. Sed quamquam ad hominem Romanum vitas mittebat, tamen a Graecis maxime eas legi voluit. Romanorum enim utilitatem in vitis eum non spectasse inde perspicuum, quod saepissime nomina Romana aut explicare aut interpretari aut ad originem reducere conatus est, quod Graecos si spectabat commodum quoddam habebat, si Romanos nullum. Quis enim homini Romano, qui Graecos libros legere possit, dicere esse λέγειν, aut magnum μέγαν, aut regem βασιλέα (cf. Marc. 24. Sertor. 18. Numa 21) aliaque eius modi sexcenta exponere conabitur?

Iam vero, ut ad ordinem ipsum horum viginti duorum librorum accedamus, primum ex Plut. ipsius testimoniis apparet, quattuor maxime partes faciendas esse, primam earum, quas aliorum hominum precibus commotus composuit, alteram, quas sua sponte, ut haberet verae virtutis imagines addidit, tertiam denique et quartam mythistoricarum et earum, quae quamquam magni animi non tamen morum omni vituperio vacuorum exempla praeberent. Hoc cum ex Plut. verbis facile excuti possit, miror neminem adhuc has quattuor partes statuisse. Atque in Pericl. quidem cpte. 1 et 2 Plut. exponit, in rebus humilibus versari, cum propositae sint maiores, esse hominis servi et banausi; Phidiae illa opera quidem ab omnibus laudari, non tamen ipsum se Phidiam esse quemquam honestum concupiscere. Virtutem vero ab illis rebus, quascunque pictor aut artifex fingat, longe esse diversam; illas tantum gaudium et admirationem movere, hanc studium imitandi visam incutere omnibus; quae cum esset vis virtutis, se constituisse perseverare in vitis scribendis et nunc quidem libro decimo complexum esse

vitam Periclis et Fabii. [*Ἔδοξεν οὖν καὶ ἡμῖν ἐνδιατρῖψαι τῇ περὶ τοὺς βίους ἀναγραφῇ*]. Apparet igitur Periclis et Fabii vitas Plutarchum sua sponte scripsisse ut animum, cui huius vitae consuetudines vitia infunderent, ad virtutum studia transduceret et suscitaret. Atque in Timoleontis vitae prooemio, quam post Periclem scriptam esse non difficile est ad demonstrandum, legimus: *ἐμοὶ μὲν τῆς τῶν βίων ἅψασθαι μὲν γραφῆς συνέβη δι᾽ ἑτέρους, ἐπιμένειν δὲ καὶ φιλοχωρεῖν ἤδη καὶ δι᾽ ἐμαυτόν, ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῇ ἱστορίᾳ πειρώμενον ἁμῶςγέπως κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς ἐκείνων ἀρετὰς τὸν βίον.* Hinc colligendum in eas vitas, quas cum iam adamasset Plutarchus genus hoc parallelarum, conscripsit, cadere illud, quod plerumque de universis Plut. vitis praedicatur, non historias eum scripsisse, sed virtutem et veras sentiendi et agendi rationes exemplis quibusdam clarioribus illustrasse; Praecedit tamen alia pars vitarum quas aliorum causa, et aliis accomodatas non libero suo arbitrio elegit, in quibus nimirum paullatim ad hunc qui ipsius est finem et propositum progredi coepit. Sed non statim ab initio eadem ratione eodemque arbitrio eligendi usus est, quibus postea. Historias si desideramus, multo rectius ad primam partem vitarum confugiemus, si alteram petemus, de spe fortasse nonnumquam depellemur; alia enim in illis secutus est Plutarchus alia in his. Iamque in iis vitis, quas ante Periclem editas esse demonstrare aut suspicari possimus cum nulla inveniatur cui praefatur Plut. se a vitis scribendis, cum iam aliis satisfecisset, recedere nolle, et hanc sua sponte composuisse, cumque ineptum esset, si Plut. in prima earum, ad quas e sua sententia aggressus est, hoc non praefaretur, praefaretur in una earum quas postea edidit, Periclem primam vitam alterius partis fuisse, omnesque, quae ante prodierunt, aliorum causa conceptas esse, putandum est. Prima igitur pars vitarum parallelarum novem libris continebatur, (quorum primus nobis servatus non est), altera a libro decimo initium

cepit; complet autem eorum quos habemus libros X; nam qui restant quattuor quartae et tertiae parti attribuendi sunt. In Demetrii enim vitae cpte. 1 Plutarchus exponit, quamquam non plane humanum et aptum putaret aliorum vitiis aliorum mores corrigere et sustentare conari, tamen se parallelis unum aut duo iuga eorum addere velle, quorum animis non minus magna vitia quam praeclarae virtutes inhaesissent, atque in hoc se libro Antonii et Demetri vitas coniuncturum esse; apparet rursum mutatum esse consilium Plutarchi, postponendamque alteri illi parti vitam Demetri et Antonii; Huic vero Antonio subiungendas esse Coriolani et Alcibiadis vitas postea demonstrabitur. Nec difficilius est, ostendere Lycurgi quoque et Numae, Theseique et Romuli vitas, illa altera parte absoluta, conscriptas esse. Testantur haec ipsius Plut. verba in prooemio Thesei, de quibus iam supra satis dictum est. Sunt igitur quattuor partes vitarum, quarum, quae prima fuerit, quaeque altera satis demonstratum est, earum vero duarum quae restant, quaenam fuerit quarta, quaeque tertia, postea excutiendum est. Atque de universis quidem vitis hactenus.

Nunc de singulis primae partis libris dicendum est, quos Plut. aliorum iussis compulsus composuit. Horum librum primum aeque ac Lionius, sed aliis de causis, deperditum esse, ceteros in hunc ordinem redigendos existumo:

2. Sertorius et Eumenes.
3. Cimon et Lucullus.
4. Lysander et Sulla.
5. Demosthenes et Cicero.
6. Agis, Cleomenes, Gracchi.
7. Pelopidas et Marcellus.
8. Phocion et Cato minor.
9. Aristides et Cato maior.

Quem ordinem certum, aut si minus, veri similem esse, ut demonstrem, primum probandum est, omnes has vitas primae parti inserendas esse, deinde dicendum, cur

hoc ordine singulae inter se coniunctae fuisse videantur. Illud vero facillime fieri poterit, si quas huic attribuimus parti, ante Periclis et Fabii Maximi vitas, quae decimo libro exierunt, aut ante unam ex iis, quas Pericli antecedere probatum erit, scriptas has esse demonstrabimus; accedit aliud argumentum, quo uti et facile et idoneum est; Dionem enim et Brutum (cf. Dio. 2) duodecimo libro comprehendit Plut.. Intercedit igitur inter Fabium et Dionem unum tantum par vitarum, ceteraeque omnes, quae Dionem et Brutum praecedunt, Pericli quoque antemittendae sunt.

Atque primum quidem ante Fabium et Periclem scriptos esse Demosthenem ac Ciceronem, Plut. ipse confitetur, cum dicat Demosth. 3 *Διὸ καὶ γράφοντες ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ τῶν παραλλήλων βίων ὄντι πέμπτῳ περὶ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος*, nec subtilioribus argumentis opus est in vita Lysandri et Sullae, cum Lys. laudetur in vita Periclis 22 his verbis: *ταῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖς περὶ Λυσάνδρου δεδηλώκαμεν.*

Accedo ad vitam Cimonis et Luculli. Comparari possunt, quae Pericl. 7 et quae Cim. 15 leguntur, ubi Areopagi potestatem ab Ephialte fractam esse narratur, tum, quae Per. 9 et Cim 17, quibus locis Cimonem in exsilium testarum suffragiis eiectum esse, exponitur, sed hinc vix ullum usum ad nostram quaestionem profligandam percipias. At vero in Cimonis cpte 17 et Pericl. 10 agitur de pugna Tanagraea et de Cimonis reditu in patriam. Atque ut cetera omnia, quae in hac duplici eiusdem rei narratione inter se differunt, omittam, in Per. haec adduntur, quae non insunt in Cimonis vita: *Ἔνιοι δέ φασιν οὐ πρότερον γραφῆναι τῷ Κίμωνι τὴν κάθοδον ὑπὸ τοῦ Περικλέους ἢ συνθήκας αὐτοῖς ἀπορρήτους γενέσθαι δι᾽ Ἐλπινίκης τῆς Κίμωνος ἀδελφῆς, ὥστε Κίμωνα μὲν ἐκπλεῦσαι λαβόντα ναῦς διακοσίας καὶ τῶν ἔξω στρατηγεῖν καταστρεφόμενον τὴν βασιλέως χώραν, Περικλεῖ δὲ τὴν ἐν ἄστει δύναμιν ὑπάρχειν.* Haec

desunt, ut dixi in vita Cimonis, nec desunt tantum sed habent sibi quiddam contrarium; hic enim Plut. addidit, cum narravisset, Cimonem per Periclem revocatum esse: *οὕτω τότε πολιτικαὶ ἦσαν αἱ διαφοραὶ, μέτριοι δὲ οἱ θυμοὶ καὶ πρὸς τὸ κοινὸν εὐανάκλητοι συμφέρον, ἡ δὲ φιλοτιμία πάντων ἐπικρατοῦσα τῶν παθῶν τοῖς τῆς πατρίδος ὑπεχώρει καιροῖς.* Apparet Plut. cum haec in Cimone scriberet, illam pactionem de qua in Per. 10 memoravit, non cognovisse. Nam Cimonis vitam si sequimur, communis salutis causa Pericles Cimonem in patriam restituit, si Periclis, sui commodi rationem habuit. Adde huc, quod in Per. 29 illum in Cimonis filium inimica insolentia et acerbo odio usum esse, narratur; in promptu est plane aliam in vita Pericl. Plutarchum de inimicitiis Cimonis et Periclis atque in vita Cimonis protulisse sententiam [cf. Per. 29. *οἷον ἐφυβρίζων κ. τ. λ.* et *καὶ ὅλως διετέλει κολούων κ. τ. λ.*] Idem cognoscitur ex Comp. Per. et Fab. 3 ubi legimus: *Ἡ μέντοι πρὸς Μινούκιον ἐπιείκεια τοῦ Φαβίου καί πρᾳότης ἐλέγχει τὸν πρὸς Κίμωνα καὶ Θουκυδίδην στασιασμόν, ἄνδρας ἀγαθοὺς καὶ ἀριστοκρατικοὺς εἰς φυγὴν ὑπ᾽ αὐτοῦ καὶ τοὔστρακον ἐκπεσόντας.* Aliter igitur de Pericle iudicavit in vita Cimonis, aliter in vita Periclis, et hoc in aperto est, Plutarchum, postquam semel per totam vitam Periclis in Cimonem eum ita malevolum descripsisset, non potuisse postea, cum in transcursu haec moneret, aliam plane ac diversam sententiam proferre; satisque iam certum videtur Cimonem ante Periclem conscriptum esse. Scripsit igitur Cimonem, Periclis aetatem nondum accuratius perquisiverat, ad Periclem pervenit; omnes fontes pervolvit, certumque de singulis eius factis iudicium adeptus est, quod postea vix mutare potuit. Itaque si quae inveniuntur diversae sententiae de Periclis moribus, sunt hae profecto a Plutarcho priore tempore admissae. Accedit, quod in Pericl. 10 cum narretur, Cimonem crimine capitis circumventum esse, — quod

idem in vita Cimon. cpte. 14 exponitur, — haecce leguntur *Ἐδόκει δὲ καὶ πρότερον ἡ Ἐλπινίκη τῷ Κίμωνι τὸν Περικλέα πρᾳότερον παρασχεῖν, ὅτε τὴν θανατικὴν δίκην ἔφυγε.* Nam quamquam in Pericle de hac accusatione nihil antea narratum est, tamen hoc loco ita illa commemoratur, quasi iam nota sit, quod fieri potuit si Cimon antea scriptus erat. Praeterea Jonem auctorem verum non esse existimavit Plut. in vita Per. 5. [*Ἀλλ' Ἴωνα μὲν ἐῶμεν*] in vita Cimonis illo teste usus est. [cf. Cim. 5. 9. 16.] Jam igitur pro certo habendum est, Cimonem et Lucullum ante Periclem et Fabium a Plutarcho editos esse.

Sequitur, ut de Aristide et Catone Censorio exponamus, de quibus non multa sunt, quae inveni, tamen quae opus sunt, inde concludi posse videntur. Atque primum animadvertendum est, in Aristide ampliore mentione de ostracismi usu et vi relatum esse, in Pericle nihil eius modi explicari, quamquam de Thucydidis et Cimonis ostracismo cum narraretur, eadem occasio fuit, copiosius de illo in universum disputandi, deinde videndum, in Arist. cpte. 24 narrari, Aristidem quadringena sexagena talenta annua a sociis redegisse addique: *τούτῳ δὲ Περικλῆς μὲν ἐπέθηκεν ὀλίγου δεῖν τὸ τρίτον μέρος, ἑξακόσια γὰρ τάλαντα Θουκυδίδης φησὶν ἀρχομένου τοῦ πολέμου προσιέναι τοῖς Ἀθηναίοις ἀπὸ τῶν συμμάχων. Περικλέους δὲ ἀποθανόντος ἐπιτείνοντες οἱ δημαγωγοὶ κατὰ μικρὸν εἰς χιλίων καὶ τριακοσίων ταλάντων κεφάλαιον ἀνήγαγον*, de qua re in Pericle nihil expositum est, (cf. cpt. 12.). Tum vero in Catone maiore 2 proditur Catonem Fabio duce, cum oppugnaretur Tarentum, in castris fuisse, et cpte. 3, eundem se ad Fabium totum applicasse, et huius rei causa intempestivas inimicitias cum Scipione exercuisse, quae omnia in Fabii vita omissa sunt. Videmus igitur nonnullas res, quae aeque ad Periclem et Fabium atque ad Aristidem Catonemque redeunt, in his solis narrari, in illis praeter-

missas esse. — Deinde vero reputandum est in Catone 2 et 25 et in Comp. Cat. et Arist. 4 tradi, Catonem etiam res leviores et illiberales non servorum sed sua ipsius manu exsecutum esse; tamen non additur vituperatio similis eius, quae in Per. vita 1 et 2 in eius modi homines conicitur; accedit denique quod nullum nec in Aristidis nec in Catonis vita vestigium invenitur, Plut. eas scripsisse, ut essent virtutis exempla; veri simile igitur est, ante Periclem et Fabium absolutas eas esse quod idem aliis clarioribus argumentis demonstrari potest. Postea enim exponendum est, Niciae et Crassi vitas undecimo libro a Plutarcho editas esse, ut, quae antecedat Niciae vitam, hanc Periclis quoque et Fabii antecedere necesse sit; iamque apparet, Aristidem ante Niciam conscriptum esse, si comparamus Arist. 7 et Nic. 11 et Alcib 13; tribus enim his locis de ostracismo disputatur, sed cum in Aristide tota ratio suffragiorum illustretur, non illustretur in Nicia et Alcibiade, veri similius est, quae accuratiora sunt, primo loco ponenda esse, cumque in Aristide exponatur de notissimo illo Hyperboli exsilio, quo ostracismus illusus concidit, idem vero in Niciae et Alcib. vitis exponatur, non est putandum in Aristide haec Plutarchum, ubi alieno loco alienisque temporibus iniciuntur, repetivisse, si iam suo loco in Nicia aut Alcib. commemorata fuissent; haec satis certa sunt, certioraque fiunt, verbis Nic. 11. *οὐκ ἀγνοῶ δ᾽ ὅτι Θεόφραστος ἐξοστρακισθῆναί φησι τὸν Ὑπέρβολον Φαίακος οὐ Νικίου πρὸς Ἀλκιβιάδην ἐρίσαντος. Ἀλλ᾽ οἱ πλείονες οὕτω γεγράφασι* nam illis verbis *οὐκ ἀγνοῶ* is uti non potest, qui iam eadem ante narravit, sed is utitur, qui cum non narraverit, aliis hominibus visus est ignorasse, quae nunc quidem profert. At vero in Aristide de Phaeace nihil protulit Plut., in Alcib. idem narravit, quod in Nicia; sequitur, ut intercedat Nicias medius inter Aristidem et Alcibiadem, primusque horum trium fuerit Aristides; quibus expositis, si recte coniecimus, Niciam ante

Brutum editum esse, dubitari non potest, quin Aristides et Cato Cens. ante Periclem exierint.

Veniamus nunc ad Pelopidae et Marcelli vitas, de quibus paullo fortasse infirmiora sunt, quae proferimus, non tamen tam incerta, ut opponi quicquam possit, aut iudicium reprimendum sit. Comparanda sunt primum, quae Fab. Max. 22 et quae Marc. 13 leguntur. In Fabio enim est: *Φάβιος — ἐπέστειλε τοῖς ἐν Φηγίῳ στρατιώταις τὴν Βρεττίαν καταδραμεῖν καὶ Καυλωνίαν ἐξελεῖν κατὰ κράτος στρατοπεδεύσαντας ὀκτακισχιλίους ὄντας, αὐτομόλους δὲ τοὺς πολλοὺς καὶ τῶν ἐκ Σικελίας ὑπὸ Μαρκέλλου κεκομισμένων ἀτίμων, τοὺς ἀχρηστοτάτους καὶ μετ' ἐλαχίστης τῇ πόλει λύπης καὶ βλάβης ἀπολουμένους.* Qui hi fuerint a Marcello e Sicilia missi et quae eorum sors, in Fabio ante non explicatum est; tamen ita hoc loco de iis disputatur, quasi notum sit, qua fortuna usi fuerint. Hoc vero accuratius enarratur in vita Marc. 13; fuerunt enim, qui cladem Cannensem effugerant. Et sane putandum est, Plutarchum paucis verbis in Fabio, ut est eius mos, de iis expositurum fuisse, si nondum antecessisset Marcellus. His adiciendum, quae in Marc. 24 de dictatura traduntur copiosiora esse iis, quae Fab. 3 et 4, addendum in Marc. accuratius de Flaminio et de Gallis (cf. cpt. 4) expositum esse quam in Fabio 2 et 3, addendum denique probabile esse, Marcellum ante Niciam et Crassum editum esse. Nam primum in Nicia nulla descriptio inest regionum Syracusanarum, qua, ut Niciae et Hermocratis proelia melius intelligerentur opus fuisse videtur, in Marcello, quamvis hic quoque brevis, invenitur (cf. cpt. 18 *ἔμενε δὲ τὸ καρτερώτατον καὶ κάλλιστον καὶ μέγιστον, Ἀχραδινὴ καλεῖται διὰ τὸ τετειχίσθαι πρὸς τὴν ἔξω πόλιν ἧς τὸ μὲν Νέαν, τὸ δὲ Τύχην καλοῦσι.* cf. Nic. 17. 20.); deinde in vita Crassi 11 narratur, Crasso ovationem tantum, non triumphum concessum esse, adicitur de hac ovatione et de maiore triumpho iam in Marcelli vita (cf. cpt. 22)

expositum esse; et quamquam illis verbis, quibus laudatur Marcellus nulla prorsus auctoritas est, tamen, quia in Crasso, quae fuerit illa ovatio, non explicatur, explicatur accuratius in vita Marcelli, haec prior scripta videtur. His igitur argumentis innisus Pelopidam et Marcellum ante Periclem conscriptos esse contenderim. Alia adicere non licet; nam quamquam concedendum est, in omnibus iis formulis laudationis, quas non a Plutarcho profectas esse aut demonstratum est, aut absoluto libello, elucebit, numquam usurpari verbum *εἰρῆσθαι*, in Fab. 19 autem laudetur Marcellus his verbis: *ὥσπερ ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ γεγραμμένοις εἴρηται*, tamen rectius si intellectum est, Marcellum ante Fabium scriptum esse, dicere possumus, haec verba plus paullo aliis auctoritatis habere, quam ex his verbis concludere, Fabium post Marcellum editum esse.

Restant tria iuga vitarum, quae ante Periclem et Fabium composita esse coniecimus, quorum Sertorium et Eumenem ante Sullam et Lysandrum, Agidem, Cleomenem, Gracchos ante Pelopidam et Marcellum, Catonem denique Uticensem et Phocionem ante Aristidem et Catonem Cens. conscriptos videri, iam comprobemus oportet.

Atque Sertorium quidem et Eumenem ante Sullam compositum esse, unum hoc loco argumentum ex pluribus depromimus, ut appareat, non temere nos eas vitas, quas quo loco ponendae sint, sciri non posse contendit Lionius (Cpt. III §. 26) priori parti vitarum ingessisse. Legimus igitur in vita Sertorii cpte. 10 haec: *Ἐμοὶ δὲ ἀρετὴν μὲν εἰλικρινῆ καὶ κατὰ λόγον συνεστῶσαν οὐκ ἄν ποτε δοκεῖ τύχη τις ἐκστῆσαι πρὸς τοὐναντίον, ἄλλως δὲ προαιρέσεις καὶ φύσεις χρηστὰς ὑπὸ συμφορῶν μεγάλων παρ' ἀξίαν κακωθείσας οὐκ ἀδύνατον τῷ δαίμονι συμμεταβαλεῖν τὸ ἦθος*. De eadem vero re in Sullae vita cpte. 30 haec scripsit Plut.: *Τοῦτο μὲν οὖν εἴτε κίνησίς ἐστι καὶ μεταβολὴ τῆς φύσεως ὑπὸ τύχης, εἴτε μᾶλλον ὑποκειμένης ἀποκάλυψις ἐν ἐξουσίᾳ κακίας ἑτέρα τις ἂν διορίσειε πραγματεία*, in Arati denique vita cpte. 51 est: *τὸ δέ οὐκ ἦν*

ἄρα μεταβολὴ φύσεως, ἀλλ' ἐπίδειξις ἐν ἀδείᾳ κακίας πολὺν χρόνον διὰ φόβον ἀγνοηθείσης. Atque facile intellectu est, verba illa vitae Sullae nec minus verba Sertorii ante Aratum conscripta esse, nam in hoc ad certam et philosopho dignam sententiam Plut. pervenit, in illis aliam profert, quae tamen secum ipsa pugnat, aut quaestionem nondum sibi solutam esse significat. Sed difficilius est, internoscere, utrum prius ad illa verba Sertorii, an ad Sullae accesserit, contendo nihilo minus, Sertorium ante Sullam conscriptum esse. Concludimus enim ex Photii bibl. cod. 161 p. 104 *a* 25 sq. ed. Bekk. Plutarchum proprium de hac re librum conscripsisse [*σύκγειται δε αὐτῷ καὶ ἐκ τῶν Πλουτάρχου περὶ τοῦ πῶς δεῖ τὸν νέον ἀκούειν τῶν ποιημάτων περί τε φύσεως καὶ πόνων, ὅπωςτε πολλοὶ πολλάκις πόνῳ τὴν φύσιν οὐκ εὖ φερομένην ὤρθωσαν, ἕτεροι δὲ καλῶς ἔχουσαν ἐξ ἀμελείας διέφθειραν κ. τ. λ.*] Hunc inter Sullae et Arati vitam compositum esse apparet; nam in Sullae vita, rem proprio et alio libro se pertractaturum esse promittit, in Arato certam suam sententiam profert. Iam vero Sertorii vita si post Sullam edita esset, aut inter Sullam et illum librum aut inter hunc et Aratum ponenda esset; quod utrumque ferri non potest; nam cum in Sullae vita alii generi scriptorum hanc quaestionem assignaret in alia deinde vita priusquam ad proprium illum librum accederet, rursus Plut. eandem attigisse et malo modo solvisse, non est putandum, nec veri similius est, cum appareat, quam sententiam in illo proprio libro adeptus sit ex vita Arati, post illum librum, talia eum verba admisisse, qualia in Sertorio invenimus. Itaque Sertorium ante Sullam ponendum totamque hanc rem ita explicandam puto: Suam sibi in vita Sertorii de iis hominibus, qui primum boni et honesti, postea de recta via decessisse videbantur, finxit sententiam; sed haec, quam conceperat, paullo post ei infirma videbatur; iam igitur rem accuratius disquirendam sibi proposuit; disquisivit et lib-

rum proprium complevit; suam denique sententiam in Arato postea breviter repetivit. His alia adici possunt gravissima documenta, quae postea commemorabimus.

Nunc ad Agidis et Cleomenis vitas transgredior, de quibus, quae proferam levia esse indicia, non me fugit, sed de his aeque ac de Sertorio postea nonnulla addentur. In Cleomenis igitur vita, cpte. 31 narratur, Cleomenem post pugnam ad Sellasiam commissam Lacedaemonem et deinde Gythium contendisse; ibi eum naves conscendisse ut in Aegyptum proficisceretur et a Ptolemaeo auxilium peteret; atque cum in insulam Aegialiam pervenisset, Therycionem quendam eum longa oratione vituperasse, quod pulcherimam mortem in pugna ipsa fugissent, adiecta adhortatione, ut sibi tum quidem mortem consciscerent. Cui Cleomenem cum alia, tum haec repondisse: *Δεῖ γὰρ τὸν αὐθαίρετον θάνατον οὐ φυγὴν εἶναι πράξεων, ἀλλὰ πρᾶξιν.αἰσχρὸν γὰρ ζῆν μόνοις ἑαυτοῖς καὶ ἀποθνήσκειν* quae verba Cleomenis Plutarchus, ut omnia quae de Therycione narravit, ex Phylarcho sumpsisse videtur [cf. Cleom. 8. Athen. VI. p. 271 e. Muelleri hist. Gr. frgm. Vol. I. p. 347 frgm. 44] neque enim tales orationes sibi ipsum Plutarchum finxisse, demonstrari potest, sed quas habet orationes — sunt autem non multae — has ex fontibus delibavit. Jam vero in exordio vitae Pelopidae eadem fere de morte voluntaria sententia profertur; nec solum idem iudicium, sed eadem fere verba in Comp. Pel. et Marc. 3 leguntur: *οὕτω γὰρ οὐ πάθος ἀλλὰ πρᾶξις γίγνεται τοῦ τελευτῶντος ὁ θάνατος.* Neque vero probabile est, Plutarchum forte quadam eadem verba, quae iam in Pelopida scripserat, in Cleomenis postea oratione apud Phylarchum invenisse, sed multo veri similius, postquam illa Phylarchea iam animo percepisset suam eum sententiam in vita Pelopidae Phylarchi verbis accomodasse. Videtur igitur Cleomenes ante Pelopidam scriptus esse, quod tum magis elucebit, si inter primas Agidis et Cleomenis vitas statuendas esse demonstravero.

De vita vero Catonis minoris et Phocionis brevissime disputari potest; legimus enim in vita Phoc. 4: τὸ μὲν οὖν Κάτωνος ὡμολόγηται γένος ἐκ λαμπρῶν ὑπάρχειν, ὡς λεχθήσεται. Φωκίων δὲ κ. τ. λ. Ita loqui non potest, qui antea de Catonis genere iam exposuit; exponitur autem de genere Catonis in Cat. mai. 27. Scriptus igitur est Phocion et Cat. Ut. ante Aristidem et Catonem Cens. Neque dubitari potest, quin illi ante Periclem et Fabium concepti sint, quod tamen idem cognoscitur ex Brut. 13 ubi est: Ἡ δὲ Πορκία θυγάτηρ μέν, ὥσπερ εἴρηται, Κάτωνος ἦν, εἶχε δὲ αὐτὴν ὁ Βροῦτος ἀνεψιὸς ὢν κ. τ. λ. Nam, cum antea de Porcia in Bruti vita nihil prolatum sit, ad quod haec verba ὥσπερ εἴρηται referri possint, ad aliam vitam recurrendum est, in qua de Porcia exponatur. Est autem una Catonis minoris (Cato min. 25 et 73). Itaque Catonem ante Brutum scriptum esse apparet. Idem denique concludendum est ex Catone 24 et Brut. 5 ubi narratur, Caesari in senatu litteras Serviliae traditas esse, quae narratio in Catone initium cepit a verbis: Εἰ δὲ δεῖ μηδὲ τὰ μικρὰ τῶν ἠθῶν σημεῖα παραλιπεῖν, quae verba satis demonstrant, antea de eadem re nondum disputatum esse, Cato igitur ante Brutum, et si, qui praecedunt Brutum praeter Niciam et Crassum, Pericli quoque anteponendi sint, ante Periclem conscriptus est.

Vidimus igitur, quae vitae in priore parte collocandae sint, restat, ut videamus, quo ordine singulae hae vitae coniunctae fuerint.

Ac primum quidem vitae Agidis, Cleomenis, Gracchorum post Ciceronem scriptae videntur; nam cum in vita Demosth. 17 illud admodum scitum: ὡς οὐ τεταγμένα σιτεῖται πόλεμος, ad Crobylum hoc est ad Hegesippum oratorem [cf. Buechsenschuetzii annot. in edit. Cic. et Demosth.] revocetur, in vita Cleom. 27 autem itemque in vita Crass. 2 idem ab Archidamo repetatur hoc certe concedendum, non primum haec verba Plutar-

chum Archidamo, deinde Crobylo, tum rursus Archidamo attribuere potuisse, sed aut primum bis Archidamo, deinde Crobylo aut contra; atque cum Nicias ante Ciceronem scriptus esse non possit, Cleomenem quoque apparet post Ciceronem compositum esse; quibus positis Pelopidam quoque et Marcellum Ciceroni postponendos esse, in aperto est.

Jam vero aeque perlucidum est, Phocionis et Catonis Ut. vitas post Ciceronem conscriptas esse. Nam in vita Demosth. 10 Plut. dicit. *ὁ δὲ αὐτὸς φιλόσοφος* (sc. Theophrastus) *Πολύευκτον ἱστορεῖ τὸν Σφήττιον, ἕνα τῶν τότε πολιτευομένων Ἀθήνησι ἀποφαίνασθαι μέγιστον μὲν εἶναι ῥήτορα κ. τ. λ.* in Phocionis autem vita 5 legimus: *Καὶ πρὸς τοῦτο ἔοικε ἀπιδὼν ὁ Σφήττιος Πολύευκτος εἰπεῖν, ὅτι ῥήτωρ μὲν ἄριστος εἴη Δημοσθένης, εἰπεῖν δὲ δυνατώτατος ὁ Φωκίων.* Videtur ea vita prior esse, in qua, quis fuerit Polyeuctus explicatur, posterior ea, in qua nihil explicandi causa adiectum est; iamque Plut. in vita Demosth. pergit, Demosthenem si Phocion in eum invehi coepisset, dixisse: *ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς ἀνίσταται*, his vero adicit Plut. *τοῦτο μὲν οὖν ἄδηλον, εἴτε πρὸς τὸν λόγον τοῦ ἀνδρὸς ὁ Δημοσθένης εἴτε πρὸς τὸν βίον καὶ τὴν δόξαν ἐπεπόνθει, πολλῶν πάνυ καὶ μακρῶν περιόδων ἓν ῥῆμα καὶ νεῦμα πίστιν ἔχοντος ἀνθρώπου κυριώτερον ἡγούμενος.* In Phocionis contra vita, ubi eadem Demosthenis verba referuntur, Plut. addidit: *Ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἴσως πρὸς τὸ ἦθος ἀνοιστέον, ἐπεὶ ῥῆμα καὶ νεῦμα μόνον ἀνδρὸς ἀγαθοῦ μυρίοις ἐνθυμήμασι καὶ περιόδοις ἀντίῤῥοπον ἔχει πίστιν.* Dubitaverat igitur in vita Demosth. quae vis fuisset illorum Demosthenis verborum; iam vero in Phocione certa sententia profertur; neque igitur in obscuro, Phocionem post Demosthenem editum esse. Accedit quod eadem sententia, quae in Phocione, in Pericle quoque profertur cpte 15, ubi est: *Αἰτία δ᾽οὐχ ἡ τοῦ λόγου ψιλῶς δύναμις, ἀλλ᾽, ὡς Θουκυδίδης φησίν, ἡ περὶ τὸν*

βίον δόξα καὶ πίστις τοῦ ἀνδρός. Nemo arbitrabitur in vita Phocionis Plutarchum iam ad certam de auctoritate bonorum morum sententiam progressum fuisse, tum in vita Demosthenis dubitasse, deinde in vita Periclis ad eandem recidisse sententiam, quam in Phocione habuerat. Sed cum Periclem post Ciceronem scriptum esse sciamus, post Ciceronem eam quoque sententiam Plut. adeptus est, quam in Phocione edidit. His, si quis alia argumenta desiderabit, poterit addi, Thebarum excidium et Demosthenis Hyperidisque mortem in Phocionis vita cursim tantum et obiter commemorari, quasi iam de iis plura exposita fuerint [cf. Phoc. 17: Ὡς δὲ ἀπολώλεσαν αἱ Θῆβαι κ. τ. λ. et 29: Ὁ δὲ Δημοσθένους ἐν Καλαυρίᾳ καὶ Ὑπερείδου πρὸς Κλεωναῖς θάνατος κ. τ. λ.], quae omnia in Demosth. vita pluribus explicata sunt; poterit denique demonstrari, Catonem minorem postponendum esse Ciceroni. In Ciceronis enim vitae cpte 17 sq. cum universa coniuratio Catilinae accuratissime enarratur, tum Lentulum et Cethegum ab illo, ut pestem urbi molirentur, Romae relictos esse refertur. Atque in Lentuli mentionem cum incideret Plut. addidit haec: Κορνήλιος Λέντλος Σούρας ἐπίκλησιν, ἀνὴρ γένους μὲν ἐνδόξου, βεβιωκὼς δὲ φαύλως καὶ δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον, τότε δὲ στρατηγῶν τὸ δεύτερον, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα. Videmus igitur Plutarchi hoc loco interfuisse, ut explicaret, quis fuisset ille Lentulus. Etenim addidit praeterea unde cognomen illud Surae invenisse diceretur Lentulus, aliaque plura de pristina eius vita in medio posuit. Vix igitur negari poterit, Lentulum hoc loco primum a Plutarcho commemorari; neque enim magis in Cicerone nominis illa explicatio et descriptio morum cum reliqua narratione coniuncta est, quam foret in Catonis aut Caesaris vita, neque ulla causa proferri potest, cur non in illis vitis, si ante Ciceronem compositae essent, haec de Lentulo omnia memorare sus-

cepturus fuerit. Tamen in Catonis vita Plut. verba sunt cpte 22: *Λέντλος δὲ καὶ Κέθηγος δεξάμενοι τὴν συνωμοσίαν* nec quicquam de Lentuli consiliis atque moribus narrationi illigatur. In comparationem praeterea multa alia vocari possunt quae in Catonis et Ciceronis vita attinguntur (cf. Cic. 26, Cat. 33; — Cic. 34, Cat. 40; — Cic. 35, Cat. 21; — Cic. 39, Cat. 55; — Cic. 23, Cat. 26 sq; — Cat. 6. 19. 32. 50. Cic. 38. 35.) sed in re aperta longiore demonstratione opus non est. Atque si Catonis et Phocionis vita Ciceroni anteponi non potest, ne Aristides quidem et Cato Cens. Demosthenem ac Ciceronem praecessit. Iamque quattuor iuga vitarum inventa sunt, quae intercedunt inter Ciceronis et Periclis vitam, quibus cum nullum praeterea adnumerari possit, — nam quintum librum Ciceronis et Demosthenis, decimum Periclis et Fabii vitae compleverunt — reliquas, quae ante Periclem conscriptae sunt, Ciceroni anteponamus necesse est. Ante Demosthenis igitur et Ciceronis vitas scripti videntur Sertorius et Eumenes, Cimon et Lucullus, Lysander et Sulla. Sed cum quinto loco, ut ait ipse Plut. Cicero et Demosthenes positi fuerint, ternae autem tantum vitarum bigae inveniri possint, quae Ciceronem praecedant, unum par vitarum deperditum esse apparet. Hoc vero primum omnium fuisse brevi demonstrari potest. Nullum enim illorum trium iugorum eius modi prooemium habet, quod in exordio et foribus omnium vitarum, quas eodem modo coniunctas nemo ante Plutarchum conscripserat, exspectamus, et ex Sertorii certe vitae quam primam earum, quas habemus esse conicimus, cpte 1: *τούτῳ δὴ μάλιστα τῶν Ἑλλήνων τὸν Καρδιανὸν ὁμοιοῦμεν Εὐμένη*, concludi potest, non primum hunc Romanum cum homine Graeco coniunxisse Plutarchum. Interiit igitur primus parallelarum liber, quo quas vitas complexus sit Plut. non nimium laboro, tamen alteram earum Epaminondae vitam fuisse, quam scripsisse Plutarchum, verba illa Ages. 28 *ὡς ἐν τοῖς περὶ Επαμεινώνδου γέγρα-*

πται etiamsi non sint a Plutarcho profecta, satis certo testantur, mihi persuasi; nam in Comparat. Pel. et Marc. 1 legimus **Λέγονται δὲ Θηβαῖοι μηδὲ Ὀρχομενίους ἂν οὕτω μεταχειρίσασθαι παρόντων ἐκείνων** ex quibus verbis colligi potest, antea de Orchomeniorum sorte et interitu, quae cum abessent Pelopidas et Epaminondas in Peloponeso passi sunt, accuratius disputatum, aut si minus, hanc rem tamen commemoratam fuisse. In Pelopidae vero vita frustra hoc anquires; nec magis in aliis, quae hanc comparationem antecesserunt, nec omnino in iis vitis quae exstant, invenies. Videtur igitur antecessisse vita Epaminondae, in qua occasio sane oblata erat, animadvertendi in illud facinus Thebanorum. Sed quocum homine Romano vita Epaminondae coniuncta fuerit affirmare non audeo. Wyttenbachius eam in animadv. Plut. Vol. VI, p. 1116 cum Scipione maiore comparatam fuisse contendit, sed argumentis rem non illustravit. Videtur autem una hac ratione perductus esse, quod in Lampriae catalogo, qui fertur, (cf. Treu. Waldenburgiae 1872 p. 7. No. 7) Epaminondas Scipioque coniunguntur. Sed in eodem catalogo Aratus quoque et Artaxerxes coniunguntur, (cf. No. 24) et Agis Cleomenesque a Gracchis dirimuntur (cf. No. 9 et 10); nec praeterea constat quis fuerit ille Scipio utrum maior an minor, nec omnino si Plutarchi ordo exquiritur, huic catalogo ulla fides habenda est.

Jam vero Sertorii, Luculli, Sullae vitas, quas omnes in primis statuendas esse demonstravinus, re vera eodem fere tempore, aliam non multo post aliam confectas esse apparet; nam quascunque alias duas aut tres inspexeris vitas hominum sibi aequalium a Plutarcho conscriptas, permultas invenies res, quae in alia iam narrata erant, in alia repeti; permulta quidem quae insunt in Sulla, repetuntur in vita Marii, permulta primum in vita Aristidis deinde iterum in vita Themistoclis et Cimonis narrantur, permulta non minus vitae Alcibiadis quam antea

vitae Niciae iniuncta sunt, neque, ut dixi, inter omnes parallelas duae praeterea vitae leguntur, in quibus cum idem fere temporis spatium complectantur, abstineat ab omni repetitione Plutarchus; quod longe aliter factum est in vita Sertorii, Luculli, Sullae, quamquam multa fuerunt, quae non minus apte in duabus aut omnibus tribus quam in una exponi possent. Hoc qui Plutarchi vitas omnes pertractaverit, mox intelleget, nec opus est, singula omnia fusius explanare, brevi tantum commonendum est, de omnibus expeditionibus, quas Lucullus in bello primo Mithridatico Sullae causa suscepit (Luc. 2—4) in Sullae vita ne uno quidem verbo disputatum esse, Sertorii vero nomen in Sulla omnino non commemorari. Nec de Mario legato illo, quem Sertorius Mithridati miserat, nec de foedere inter Sertorium et Mithridatem facto quicquam in vita Luculli exponitur quod in vita Sertorii expositum sit (cf. Sertor. 23 et 24, Luc. 5 et 8). Apparet igitur, has tres vitas, uno ut ita dicam, tenore scriptas esse, Plutarchumque in alia earum aliarum consilium iam concepisse. Quod cum ita sit, non multum interest, ut exquiramus, quaenam earum primo et quae altero quaeque tertio denique loco conscripta fuerit, tamen hoc quoque, ni fallor, erui potest. Sertorium enim ante Sullam compositum esse, iam ante demonstrare conati sumus, scriptum eundem ante Lucullum fuisse ex Luculli cpte 7 concludi posse existimo. In hoc enim cpte exponitur, Mithridatem primum, ut mos esset sophistarum, nimis audacem et fiduciae plenum fuisse, tum vero, cum in tertium cum Romanis bellum ingrederetur, summa industria omnia, quae ad usum belli pertinerent, parasse; Romanorum modo totum exercitum tum armare, centum viginti milia peditum, mille sexcentos equites colligere, naves belli apparatu implere, omnia providere ac consulere! Sed non narratur foedus eum cum Sertorio iniisse, quod tamen foedus hoc loco commemorandum fuit, cum ad bellum scite parandum

vel maxime pertineret; postea vero ex Luc. cpte 8 ignotum hoc foedus Plutarcho non fuisse, intellegitur. Videtur igitur hoc de consulto in cpte 7 omisisse, scilicet, nulla alia de causa, quam quod ante in Sertorio de eo disputaverat. Haec vero omnia confirmantur cum demonstrari possit, Sertorii et Eumenis vitas ceteras omnes quas habemus, tempore praeire; nulla enim, his exceptis, inter vitas parallelas est, in qua non pluribus fontibus eum usum fuisse videamus, nulla in qua non formulae **ἔνιοι δὲ λέγουσι, οἱ μὲν — οἱ δὲ,** aut similes saepius inveniantur, quae quidem et in Eumenis et in Sertorii vita plane desunt; videtur in vita Sertor. uno Sallustio, in vita Eumenis uno Hieronymo Cardiano fonte usus esse, exceptis iis quae in initio Eum. 1 ex Duride desumpta sunt, cum contra in vita Sullae et Luculli, Sallustii, Livii, Jubae libris Sullaeque denique commentariis, in vita Lysandri Ephoro Theopompo Duride aliisque, in Cimonis vita compluribus et in iis quae sequuntur pluribus in dies fontibus usus sit [cf. Peteri de font. Plut. in vit. Rom. lib. p. 61 sq. Haugii de font. Plut. in vit Graec l. p. 69—71]. Adde, quod in hoc uno libro, ut iam supra dictum est, qui Sertorium et Eumenem continebat, Sertorius qui aetate inferior est, Eumeni antepositus est. Jam in libro eo qui Luculli et Cimonis vitas comprehendit, Cimonem qui aetate prior est, quamquam totus hic liber Luculli causa, non Cimonis conscriptus est (cf. prooem. Cimon.) anteposuit Plut., et si Sertorii et Eumenis vitae scriptae essent, postquam hanc sibi legem et rationem imposuit, ut praemitteret eum, qui prior vixisset, certe in hoc quoque libro eundem ordinem secutus esset, quem cum non secutus sit, primo loco ponamus Sertorii et Eumenis vitas oportet. Quae cum ita sint, quid de Lionio iudicabimus, qui has vitas vicesimo sexto loco collocavit et de iis Godofredi Hermanni illa verba protulit, turpe esse nescire quae sciri possint? Sed Lionium mittamus, qui cum triginta et unam paginas compleret, septem vix sanas sententias procreavit.

Transeamus ad Lucullum, quem Sullae anteponendum esse censeo. Concludimus hoc ex Luc. cpte 2—4 (cf. Luc. 23), quibus eae res, quae non minus ad Sullam quam ad Lucullum referri possunt, solis enarratae sunt; in Lucullo solo narratur, bello Marsico Lucullum Sulla duce stipendia meruisse, in Lucullo solo quasnam res hic bello primo Mithridatico gesserit et quomodo Sullae classem collegerit, in Lucullo Fimbriae facinora accuratius perlustrantur, in Lucullo a Sulla hunc tutorem filio scriptum esse proditur, quae omnia aut in Sullae vita plane praetermittuntur aut ut Fimbriae res brevissime stringuntur [cf. Sull. 23 et 25]. At contra in Sullae vita nihil quod in Lucullum redeat [cf. Sull. 11] accuratius quam in Lucullo pertractatur. Quocirca veri similius sane est, Lucullum ante Sullam elaboratum esse; Quae si omnia recte exposuerimus, fuerit igitur alter liber parallelarum Sertorium et Eumenem, tertius Cimonem et Lucullum, quartus Lysandrum et Sullam complexus. Nec quicquam ex vitis colligi posse, quod huic sententiae repugnet, argumentaque illa quibus innisi sumus confutet, pro certo contendere audeam; nam si comparamus Ciceronis vitam, quae in quinto libro exiit, cum Lucullo et Sulla, nihil prorsus invenimus, quibus Ciceronem his anteponendum esse suspicemur [cf. Luc. 34, Cic. 28/29. — Luc. 42. 43. — Cic. 31. — Cic. 3. 4. — Sull. 32. Cic. 10. — Sull. 36], Lucullum vero ante Catonem minorem conscriptum esse, ex Caton. min. 34 et Luc. 38 cognoscitur; nam cum in Catone minore de foedis moribus utriusque Serviliae et eius, quae Lncullo nupsit, et eius quae Caesarem diligebat disseratur, in Lucullo de Servilia uxore Luculli legimus: ***Ἐν γὰρ οὐ προςῆν αὐτῷ*** [sc. ***τῷ γάμῳ***] ***τῶν Κλωδίας μόνον, ἡ τῶν ἀδελφῶν διαβολή.*** Hoc Plutarchum scribere non potuisse constat, si ante iam illa de Servilia altera cognovisset et protulisset. Est igitur Lucullus ante Catonem minorem scriptus, neque aliter ante Brutum cuius cpte 5 eadem

quae Catone min. 34 narrantur. Plura possumus hoc loco congerere: Possumus demonstrare Lysandrum ante Pelopidam [cf. Pel. 2 Lys. 5—7 Pel. 6. Lys. 27] et ante Camillum [cf. Lys. 15. Cam. 19], Sullamque ante Crassum [cf. Comp. Nic. et Crass. 1] et ante Alexandrum [cf. Sull. 36. Alex. 55] et ante Aemilium et Titum [cf. Sull. 12] Sertorium denique ante Marium [cf. Sert. 3. 5. Mar. 1. 44] conscriptos esse. Sed ne longi simus iam ad illa quattuor iuga vitarum pergamus, quae sextum, septimum, octavum, nonum librum compleverunt.

Atque hoc quidem iam supra, quoad fieri potest, demonstravimus, Phocionem ante Aristidem, Agidemque ante Pelopidam conscriptos esse. Jam vero Phocion et Cato minor sexto loco statui non potest. Nam non solum plura, quae in Demosthene et Cicerone Plut. exsecutus est, in his repetuntur, quam ut statim hunc post illum compositum esse concedamus, sed etiam in rebus ipsis et in sententiis nonnulla alia in Catone et Phocione alia in Demosthene et Cicerone protulit Plut. [cf. Dem. 10. Phoc. 5 — Cic. 26. Cato min. 33. — Cic. 39. Cato min. 55]. Propius igitur ad Periclem quam ad Demosthenem Phocion et Cato admovendi sunt. Atque si Phocion et Cato Ut. sextum locum non obtinuerunt, Agidi et Cleomeni et Gracchis hic permittendus est; nam nec Aristides Phocionem, nec Pelopidas Agidem praecurrere potest. Quod quamquam non argumentis, quae ex ipso Agide et Cleomene aut Gracchis fluxerunt, sed arte quasi captiosa conclusum est, tamen aliis rebus comprobatur. Ex prooemio enim Sertorii, Cimonis Demosthenisque intellegi potest, omnes hos libros vitarum magis Romanorum hominum causa quam Graecorum conscriptos esse; de Sullae vita hoc nec demonstrari nec refutari potest; nullum enim praemittitur prooemium. De Gracchis vero et Agide et Cleomene idem statuendum est. His omnibus libris magis Graecorum vitae adiectae sunt, quam cum iis coniunctae videntur; quod cum ita sit, sane vix alio

loco Gracchorum vitae reponi possunt, cum reliquae omnes vitae non minus Graecorum quam Romanorum causa inceptae videantur, etiamsi deessent omnia alia argumenta, quae tamen non plane deesse exposuimus. De Gracchis ergo et Agide et Cleomene nihil in dubio relinquitur. Pelopidas vero et Marcellus utrum ante Catonem minorem an post hunc sed ante Aristidem an nono denique loco ponendi sint, age consideremus. Atque aliquantum temporis intercedere inter has vitas et Lucullum idcirco putandum est, quia in vita Marc. 21 et Cim. 4 eadem sententia ex Euripide ornamenti oratorii causa ingeritur: *Φαῦλον, ἄκομψον τά μέγιστά τε ἀγαθόν.* Sed satis sane, ne illepida fiat haec repetitio, spatii interiectum est, si septimo loco ponimus Pelopidam et Marcellum, nec opus est, hanc ob causam post Catonem minorem aut maiorem deduci illas vitas. Jam vero si reputamus eandem plane de morte voluntaria sententiam in Pelopidae vita inveniri atque in Cleomene [cf. Pel. 1. Comp. Pel. et Marc. 3. Cleom. 31], eandem vero de vi et auctoritate bonorum morum in vita Phocionis et Periclis [cf. Phoc. 5. Pericl. 15] differre vero nonnulla, quae in vita Phocionis et Catonis minoris et quae in Cicerone et Demosthene inveniuntur, probabilius videtur Pelopidam et Marcellum statim Gracchis absolutis, Phocionem autem et Catonem minorem post hos, nec ita multo ante Periclem conscriptos esse. Accedit, quod multa quae in vita Marcelli invenimus in vita Fabii repetuntur, ut intercedere inter has aliquantum temporis recte conicias [cf. Marc. 9 Fab. 5. — Marc. 9. Fab. 19. — Marc. 26. Fab. 15. — Marc. 13. Fab. 22. Marc. 21. Fab. 22]; nec repeti tantum nonnulla videmus, in Fabio, sed etiam incidas in quaedam quae aliter in Marcello, aliter in Fabio narrantur. Nam in vita Marc. 9 Fabium paedagogum Hannibalis a Poeno ipso, in Fab. autem 5 a Romanis per iocum esse nominatum traditur. Rectius profecto, quod in vita Marcelli legitur, et hoc perspicuum, interesse aliquantum temporis inter hanc et

illam. Itaque equidem non dubito septimo loco statuere Pelopidam et Marcellum, unde efficitur ut octavo Phocion et Cato Ut., nono Aristides et Cato Cens. scriptus sit; et haec si non pro certis habenda sint, tamen ad verum quam proxime nobis accessisse videmur.

His absolutis, ad alteram partem vitarum transeundum est, quas Plutarchus libero suo arbitratu sibi elegit, non ut aliorum precibus satisfaceret, sed quorum vitas ad virtutem excitandam idoneas putavit, hos ut illustraret horum ut nomen laude ingenua famae insereret. Insunt igitur in hac parte eae, quae plerumque perfectissimae omnium vitarum habentur, Timoleontis et Aemilii aliorumque. Complectebatur autem haec pars, ut mihi videtur, eorum, quos nos habemus, libros decem, vitas viginti hoc ordine editas:

10. Periclem et Fabium Maximum.
11. Niciam et Crassum.
12. Dionem et Brutum.
13. Timoleontem et Aemilium Paullum.
14. Philopoemenem et Titum.
[?] Themistoclem et Camillum.
Caesarem et Alexandrum.
Agesilaum et Pompeium.
[?] Pyrrhum et Marium.
[?] Solonem et Publicolam.

Intercedebant fortasse, et in hunc ordinem recipiendae sunt aliae praeterea vitae, quae servatae non sunt; sed harum mentione hoc loco carere possumus.

Atque ut ad singulas vitas perveniamus, Periclem quidem et Fabium decimo libro, Brutum autem et Dionem duodecimo comprehensos fuisse constat. [cf. Per. 2. Dio 2.] Jam vero in hac parte vitarum, quae est eius condicio et natura, cum ordine quodam Plutarchum processisse veri simile sit, id quod comprobatur, cum in hac parte vitarum nonnumquam vitas postea scribendas nominaverit, [cf. Mar. 29. Caes. 35] non futilis neque

insulsa illa quaestio videtur, quaenam ex iis vitis, quas habemus, quaeque huic parti inserendae sunt, possint intercedere mediae inter Periclem et Fabium ac Dionem et Brutum, ut existat ordo quidam probabilis. Nullas vero alias reperias quam Niciae et Crassi, quarum illa et cum Periclis vita ut apparet, et cum Dionis — fontes enim eosdem in vita Niciae et Dionis adiit Plut., et utraque vita in Siciliae rebus versatur, — Crassi vero cum Bruto quadam ratione copulata est. Niciae igitur et Crasso, si aliis argumentis destitueremur summo iure undecimum locum permitteremus; sed hoc ius ne quis summam iniuriam esse crediderit, iam quae exstant aliae rationes et argumenta promenda sunt. Atque Niciam quidem post Aristidem et Catonem maiorem et post Marcellum et Pelopidam scriptum esse, iam supra comprobatum est. Potest hoc loco ostendi post Sullam eum et post Catonem minorem scriptum esse. [cf. Comp. Nic. et Crass. 1 — Comp. Nic. et Crass. 4. Cato min. 5]; sed haec per se iam clara sunt. Possunt varia quoque argumenta proferri cur Pericli Nicias postponendus sit; nam ex fine prooemii Niciae apparet, alteri parti vitarum Niciam et Crassum subiungendos esse, cuius tamen partis primi sunt Pericles et Fabius; atque ea quae de Damone et Anaxagora Per. 4. 5. 6. 16 narrantur ante ea quae Nic. 6 et 23 scripta videntur, denique idem de Pericle iudicium in vita Niciae quod in Pericle invenitur [cf. Nic. 6. 9] cum contra in vita Cimonis, quae ante Periclem scripta est, aliam sententiam Plut. secutus sit. Sed haec omnia omittere licet, nam nullus ante Periclem relinquitur locus, ubi Niciae et Crassi vitas statuamus. Jam vero Caesari et Alexandro Crassi et Niciae vitas anteponendas esse ex Caton. min. 51. Caes. 22. Comp. Nic. et Crass. 4 colligi potest. Exponitur his omnibus locis Catonem in senatu, cum Caesaris de Germanis victoria nuntiaretur, postulasse, ut Germanis ille vinctus traderetur; sed in Catone falso haec vox Catonis cum senatus consulto, ut Caesari suc-

cederetur, coniuncta est, in Nicia et Caesare rectius adicitur, supplicationem a senatu decretam esse. Constat illam falsam in vita Catonis narrationem ceteris praemissam fuisse; atqui in Comp. Nic. et Crass. trecenta milia Germanorum a Caesare victos esse traditur, qui idem numerus in vita Catonis profertur; in Caesaris autem vita quadringenta milia victa esse dicuntur. Atque si hi numeri recte traditi sunt, nec librariorum culpa corrupti, illam Catoni insertam narrationem similiorem esse apparet ei, quae in Comp. Nic. et Crass. invenitur, quam ei quae in Caesare legitur. Si fides igitur numeris illis haberi potest, post Catonem Niciam et Crassum, post hos deinde Caesarem scriptum esse contenderis. — Age vero ad Dion. et Brut. veniamus, et hi cur Nic. et Crass. postponendi videantur exponamus. Atque in Crassi vita de Cassii rebus bello Parthico gestis accuratissime refertur [cf. Crass. 20. 22. 23. 27. 28] in Bruti vero vita, quae non minus Cassii quam Bruti est habenda cpte 43 brevissime haec monentur: ***Πίνδαρον, ὃν ἐκ τῶν κατὰ Κράσσον ἀτυχημάτων ἐπὶ ταύτην εἶχε τὴν ἀνάγκην, ὑφ᾽ αὑτοῦ παρεσκευασμένον. Ἀλλὰ Πάρθους μὲν διέφυγε, τότε δὲ κ. τ. λ.*** In Niciae autem vitae cpte 23, lunam defecisse narratur, additurque, nondum id aetatis rationem solis et siderum satis omnibus cognitam fuisse; Anaxagoram primum hanc caliginem dispulisse, sed huius doctrinam in volgus non emanasse. Tandem aliquando Platonis disciplina factum esse, ut innotescerent caeli atque astrorum orbes atque motus. Dionem illum quidem, amicum Platonis, cum ex Zacyntho proficisceretur lunae defectu territum non esse, sed castris motis in Siciliam transiisse et Syracusanos dominatione liberasse. In Dionis vero cpte 24 brevi narratur, lunam laborasse cum in Zacyntho esset Dio; hunc non miratum esse, quippe qui causas defectus novisset, ceteros Miltae vatis responso sollicitudine liberatos esse. Atque his in rebus apparet necessitudinem quandam fuisse in vita Bruti de Cassii in bello Parthico rebus paullo

accuratius disputandi, nisi antea in vita Crassi iam omnia exposita fuissent; apparet, eandem in Dionis atque in Niciae vita occasionem fuisse exponendi, quo tempore, quorum virorum doctrina rationes lunae et solis cognitae essent, apparet denique, vix Dionis illum animum superstitione liberum in Nicia praedicari, non praedicari in Dione, nisi Crassi et Niciae vitae antecessissent Dionem. Quae cum ita sint, cumque res illae astronomicae tantum in Nicia inveniantur, nec aliter in vita Crassi tantum de Cassii rebus Parthicis exponatur, Nicias sane et Crassus ante Dionem et Brutum scripti videntur.

Dionis vero et Bruti vitas excepisse Timoleontem et Aemilium puto. Atque primum quidem anteponi non posse horum vitas Dioni ac Bruto apparet, cum nullus ante hos iam vacuus relictus sit locus. Potest tamen hoc idem ex Timoleonte cognosci, nec abstinendum argumentatione cum si reliquas omnes vitas Bruto postponendas esse demonstretur, accedat aliquid probabilitatis ei sententiae, quam de Nicia et Crasso in medio posuimus. Legimus igitur in cpte 1 Timoleontis *τὰ μὲν οὖν Συρακουσίων πράγματα πρὸ τῆς Τιμολέοντος εἰς Σικελίαν ἀποστολῆς οὕτως εἶχεν. Ἐπεὶ Δίων μὲν ἐξελάσας Διονύσιον τὸν τύραννον εὐθὺς ἀνηρέθη δόλῳ κ. τ. λ.*, atque cum res Syracusanorum non inde ab initio urbis aut a primordiis tyrannidis sed inde a Dionis morte repetantur, quae non tanti momenti in Syracusanorum fortuna fuit, ut hinc initium narrationis facere cuivis liceret, concludi potest, Dionem antea scriptum esse. Aliud profecto initium cepisset Plutarchus, nisi anteiisset Dio. In Timol. autem cpte 22 est: *Γενόμενος δὲ τῆς ἄκρας κύριος οὐκ ἔπαθε Δίωνι ταὐτὸ πάθος οὐδ' ἐφείσατο τοῦ τόπου δία τὸ κάλλος καὶ τὴν πολυτέλειαν τῆς κατασκευῆς, ἀλλὰ κ. τ. λ.* quibus ex verbis, quamvis suspicari possimus, quid fecerit aut passus sit Dion, tamen dilucide intellegi non potest. Exspectandum est, nonnulla verba explicationis causa adiecta esse, vel potius

tota haec comparatio inepta esset, nisi antea de Dione omnia pertractata essent. Nemo enim sanus res claras obscuris illustrare conatur. Sed cum haec comparatio, facta sit, cumque in ea de Timol. tantum rebus disputetur, Dionis vero rationes non explicentur, ante Timoleontem Dionem scriptum esse elucet. Jam vero Timoleontis praefatio similis est eius, quae Pericli praemissa est. [cf. Per. 2. ἔδοξεν οὖν καὶ ἡμῖν ἐνδιατρῖψαι τῇ περὶ τοὺς βίους ἀναγραφῇ. Tim. 1. ἐμοὶ μὲν τῆς τῶν βίων ἅψαθαι μὲν γραφῆς συνέβη δι᾽ ἑτέρους, ἐπιμένειν δὲ καὶ φιλοχωρεῖν ἤδη καὶ δι᾽ ἐμαυτόν κ. τ. λ.] Utroque enim loco Plutarchus disseruit, quam rationem, quamque finem in vitis scribendis sibi statuerit. Hinc perspicuum ita multo post Periclem Timoleontem conscribi non potuisse; nam si multas iam vitas ex sua sententia conformatas edidisset, hisque ipsis, quid sequeretur in scribendo, satis demonstrasset, tale prooemium Timoleonti praefigere non potuit. Convenit hoc vitae cuidam quae in primis alterius partis exiit, non quae in extremis. Et praeterea reliquas vitas quae supersunt, post Timoleontem et Aemilium omnes editas esse infra manifestum erit.

Transeamus igitur ad vitam Philopoemenis et Titi, quae mea sententia secutae sunt Timoleontem et Aemilium, praecesserunt vero Alexandrum et Caesarem. In Aemilii enim cpte 8 breviter tempora Graeca inde ab Antigono, Alexandri legato, usque ad Philippi, qui a Romanis victus est, mortem perlustrantur, praemittuntur autem haec verba: περὶ ὧν δίειμι βραχέως ἄνωθεν ἀρξάμενος. Ita vero aberrare et altius repeti oratio non potuit, si iam antea de Philippi vita in Tito disputatum esset, immo vero multo rectius haec tota expositio Titi vitae iniecta fuisset, cuius res praecesserunt Aemilii facta. Et sane haud dubie a Plutarcho Tito indita haec essent, nisi antea ad Aemilium quam ad Titum pervenisset. Scripserat vero in prioribus vitam Eumenis, Demosthenis, Phocionis; ad Aemilium pervenit, iam tempus quod inter

hunc et illos interiectum erat, breviter percensuit; si antea ad Titum aggressus esset, in Tito hoc, non in Aemilio factum esset. — Alexandro vero et Caesari Titum et Aemilium anteponendos esse facile intellegi potest. Nam primum ex verbis Caes. 35: *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφησομένοις τὰ καθ᾽ἕκαστα δηλωθήσεται* et Caes. 45: *Ἀλλ᾽ οὗτος — δηλοῦμεν ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γράμμασιν* quae ad Pompeium referenda sunt, cognoscitur, Plutarchum Pompei vitam continuo post Caesarem scripsisse, quippe cuius scribendi consilium iam cum in Caesare versaretur, suscepisset; ita ut quae vitae Pompeio priores sint, Caesari quoque has anteponere debeamus. Ex Titi autem cpte 10 ubi legimus: *Αἰτία δὲ ἡ τοῦ ἀέρος ῥῆξις. ὅταν γὰρ φωνὴ πολλὴ καὶ μεγάλη φέρηται διασπώμενος ὑπ᾽ αὐτῆς οὐκ ἀντερείδει τοῖς πετομένοις, ἀλλ᾽ ὀλίσθημα ποιεῖ καθάπερ κενεμβατοῦσιν. εἰ μὴ νὴ Δία πληγῇ τινι μᾶλλον ὡς ὑπὸ βέλους διελαυνόμενα πίπτει καὶ ἀποθνήσκει. Δύναται δὲ καὶ περιδίνησις εἶναι τοῦ ἀέρος, οἷον ἑλιγμὸν ἐν πελάγει καὶ παλιρρύμην τοῦ σάλου διὰ μέγεθος λαμβάνοντος* cum in Pomp. vita 25 scriptum sit: *Ὅθεν οὐ δοκεῖ ῥήξει τοῦ ἀέρος καὶ διασπασμῷ κενὸν πολὺ λαμβάνοντος ἐνολισθαίνειν τὰ πίπτοντα τῶν ὀρνέων ἀλλὰ τυπτόμενα τῇ πληγῇ τῆς φωνῆς, ὅταν ἐν τῷ ἀέρι σάλον καὶ κῦμα ποιήσῃ πολλὴ καὶ ἰσχυρὰ φερομένη,* Titum apparet, in quo dubitat de causis cur aves subito clamore magno in terris sublato, mortuae decidant, ante Pompeium confectum esse, in quo certam iam et suam sententiam profitetur. Quod si recte conclusum est, Aemilius quoque et Timoleon Pompeio et Caesari anteponendi sunt. Hoc vero comprobatur Aem. cpte 5 ubi est, *ὑπόδημα, κάλτιον αὐτὸ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν* et Pomp. 24 verbis: *Ἐκ τούτου δὲ οἱ μὲν ὑπέδουν καλτίοις αὐτὸν, οἱ δέ τήβεννον περιέβαλον, ὡς δὴ μὴ πάλιν ἀγνοηθείη,* idemque ex vita Caes. cpte 35 intellegi potest. Ibi enim Plutarchus, cum quaestionem quandam naturalem persecutus esset, addidit: *τῶν μέν οὖν τοιούτων παρεκβάσεων, ἂν*

μέτρον ἔχωσιν, ἧττον ἴσως οἱ δύσκολοι κατηγορήσουσιν, atque manifestum est, Plutarchi vitas propter has quaestiunculas, quas nonnumquam iniecerat historiis iam ante quam Caesarem ederet, vituperationem hominum non minus imprudentium, quam qui hodie Plutarchum corripere solent, nescii quid sibi proposuerit in vitis, invenisse. At vero cum de vitio et virtute, de moribus hominum atque de anima compluribus in vitis philosophorum modo a Plutarcho disseratur, vix alias inveneris vitas praeter Brutum [cf. 25] Aemilium [cf. 14. 15] Titum [cf. 10] quibus tales res naturales admistae sint. Has igitur ante Caesarem conscriptas esse conicias hinc vituperandi occasionem exortam esse, molestis illis hominibus credideris. Possum hoc loco praeterea demonstrare Titum post Catonem Cens. compositum esse [cf. Cat. Cens. 17. Tit. 18. 19.] sed hoc per se iam clarum est.

Transeo ad vitam Themistoclis et Camilli, quas a Plutarcho coniunctas esse, negandum non est, quamquam huius rei argumenta non ita in promptu sunt, cum interierit comparatio, nec in vita altera alterius mentio ulla iniciatur; quod idem praeterea in vitis Pyrrhi et Marii fieri videmus. Sed cum in omnibus editionibus coniungantur, et omnes, qui nunc quidem de Plutarcho scribunt, numquam hanc rem in dubium vocarunt, argumenta nota esse credideris, quae equidem missa facio, ne nimis fastidiosus videar. Hae vero Themistoclis et Camilli vitae ante Caesarem et Alexandrum scriptae sunt; nam in vita Camilli cpte 19 legimus: *οὐκ ἀγνοῶ δ' ὅτι περὶ τὸ τῶν μυστηρίων καιρὸν αὖθις Θῆβαί τε κατεσκάφησαν ὑπ' Ἀλεξάνδρου καὶ μετὰ ταῦτα φρουρὰν Ἀθηναῖοι Μακεδόνων ἐδέξαντο περὶ αὐτὴν εἰκάδα τοῦ Βοηδρομιῶντος ᾗ τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσι.* usus autem et sententia verborum *οὐκ ἀγνοῶ* postulat, ut antea de eadem re nondum disputatum sit; praecedit Demosthenis vita, in qua cum occasio commemorandi fuerit, non disseritur, quo tempore Thebae dirutae sint. At vero

in Alexandri vita excidium Thebarum cpte 13 addita narratione, quo tempore acciderit, accuratius describitur. Hunc igitur post Camillum scriptum esse, necesse est. Jamque in eodem cpte Cam. [19] legimus: . . . *Πέρσαι μηνὸς Βοηδρομιῶντος — πέμπτῃ — φθίνοντος ἐν Ἀρβήλοις* (sc. *ἡττήθησαν*), in Alex. vero cpte 31 Plut. dicit: *τὴν μεγάλην μάχην πρὸς Δαρεῖον οὐκ ἐν Ἀρβήλοις ἀλλὰ ἐν Γαυγαμήλοις γενέσθαι συνέπεσε.* Ante Alex. igitur scriptus erat Camillus; nam si postponendus ei esset, non potuit de pugna ad Arbela, sed tantum de pugna ad Gaugamela referre Plut. quo tempore commissa fuerit. Operae non pretium est, hoc loco copiosius demonstrare, Camillum post Lysandrum [cf. Cam. 19. Lys. 15] et Themistoclem post Aristidem compositos esse [cf. Arist. 7. — Them. 3. Arist. 2. — Arist. 3—5. — Them. 11. Arist. 8. — Them. 12. Arist. 8. — Them. 3. Arist. 9. — Them. 10. Arist. 9. sq. — Them. 20. Arist. 22. —] quod tamen certissimis argumentis probari potest; Consentaneum est, ante Brutum et Dionem scribi non potuisse has vitas. Sed hoc quaerendum, utrum Timoleonti, Aemilio, Philopoemeni Titoque Themistocles et Camillus praemittendi an postponendi an denique intericiendi sint. Atque cum demonstratum sit, Timoleontem et Aemilium non ita multo post Periclem et Fabium editos esse, cumque ordo evadat ferendus, si Periclem et Fabium Nicias et Crassus, hos vero Dio et Brutus deinceps Timoleon et Aemilius, Philopoemen denique et Titus exceperunt, qui ordo conturbatur, si intercedat inter hos Themistocles et Camillus, hos Tito et Philopoemeni postponendos esse contenderim. Fuerit igitur ordo earum vitarum quas habemus is, quem supra constituimus, sequatur Themistocles Titum et Philopoemenem, antecedat vero Camillus Alexandrum et Caesarem, quibus Agesilaus et Pompeius subiungendi sunt. Fortasse si quae exciderunt vitae, exciderint inter Camillum et Alexandrum, aut inter Titum et Themistoclem; nam his locis ordo nullus conspicuus.

Exciderit fortasse Scipionis minoris aliorumque vitae, sed haec quae tota in coniectura posita sunt, ut nimis incerta, omittamus. Caesarem vero post Brutum conscriptum esse, verba Caes. 62 testantur: *δι' αἰτίας ἃς ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γεγραμμένοις δεδηλώκαμεν*, idemque cum ex aliis multis rebus, tum inde apparet, quod in vita Bruti de Cassio et Bruto eorumque sociis verbo coniuratorum uti dubitavit Plut. [cf. Brut. 16. *οἱ δὲ συνωμόται, λεγέσθω γὰρ οὕτως* cf. Brut. 12. extr.] in Caesaris vita iam confidentius utitur. Potest si quis desiderabit, praeterea ostendi, Caesarem Cicerone et Pompeium Bruto [cf. Brut. 33 *διηγήσομαι* Pomp. 80] et Camillum Marcello [cf.Marc. 3.] inferiorem esse, sed hoc nemo puto desiderabit.

Veniamus iam ad Pyrrhi et Marii vitas, quas post Lysandrum et Sullam editas esse constat [cf. Mar. 10]. Easdem post Sertorium et Eumenem compositas esse, per se clarum, nec argumentatione eruendum est. [cf. Mar. 44. Sertor. 3. 5.]. Jam vero post Titum et Philopoemenem Pyrrhus divulgatus videtur. In Tito enim 21. Hannibalem, narratur, Alexandro palmam omnium, quotquot fuerunt, ducum dedisse, Pyrrhum autem secundum, seque ipsum tertium declarasse. In Pyrrhi autem cpte 8 idem fere memoriae proditur, sed hoc loco Poenum Pyrrho primas, Scipioni secundas, sibi tertias detulisse dicitur. Jam vero in Tito hac expositione magis a proposito amoveri quam ad finem propius nobis progredi videmur; in Pyrrho omnia suo loco sunt. Deinde vero in Tito eodem modo quo Livius (XXXV, 14) eam protulit, narratur, in Pyrrho diversa est a Livio ceterisque fontibus. Probabile igitur in Tito eam Plut.. non iniecturum fuisse, si alia ante iam occasione commemorata fuisset, tum vero cum in Tito ex fonte hausta in Pyrrho autem e memoria relata videatur non minus probabile est, Pyrrhum post Titum editum esse. [Eadem vero res etiam in Scipionis maioris vita narrata fuisse videtur cf. Pyrrh. 8.]. Praeterea commemorandum est, in Tito 5 illam vocem referri quam

Pyrrhus, cum in Italiam venisset, admiratus ordinem excercitus Romani edidisse dicitur, quae eadem in Pyrrho 16 relata est. Neque enim putandum est Plutarchum si Pyrrhi vita ante Titum scripta fuisset, hanc in Tito repetivisse, nec prorsus putandum, si ipse hoc iam alio loco exposuisset in Tito eum verbis usurum fuisse *Πύρρου μὲν οὖν λέγουσιν, ὅτε κ. τ. λ.* Sed his omnibus rationibus supersedere poterimus, si Marium post Caesarem compositum esse apparebit. Legimus autem in Mario 6: *ὥστε γάμον γῆμαι λαμπρὸν οἰκίας ἐπιφανοῦς τῆς Καισάρων Ἰουλίαν ἧς ἦν ἀδελφιδοῦς Καῖσαρ ὁ χρόνοις ὕστερον Ῥωμαίων μέγιστος γενόμενος καί τι κατ᾽ οἰκειότητα ζηλώσας Μάριον, ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται. τῷ δὲ Μαρίῳ κ. τ. λ.* quo loco verba illa *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται*, nobis quamvis ad delendum propensis, non ita facile deleri possunt. Eiectis enim illis verbis, mira exoritur coniunctio: *Μάριον. τῷ δὲ Μαρίῳ.* tamen temere his verbis fides habenda non est. Sed addendum, in Caesaris vita pluribus de Mario exponi, quam in Mario de Caesare. Primum enim Caes. 1 legimus: *Αἰτία δὲ Καίσαρι τῆς πρὸς Σύλλαν ἀπεχθείας ἡ πρὸς Μάριον οἰκειότης ἦν. Ἰουλίᾳ γὰρ πατρὸς ἀδελφῇ Καίσαρος ὁ πρεσβύτερος συνῴκει Μάριος ἐξ ἧς ἐγεγόνει Μάριος ὁ νεώτερος ἀνεψιὸς ὢν Καίσαρος.* deinde cpte 1 traditur, Caesarem Juliae uxoris Marii laudationem habuisse et in funere eius, Marii signa protulisse, spectaculum illud plebi gratissimum, denique Caes. 6 exponitur, in Capitolio Caesarem Marii statuas collocasse; haec omnia autem in Mario aut non commemorantur, aut strictim percurruntur, quamquam nonnulla ex iis non minus Marii quam Caesaris vitae accomodata fuerunt; quod cum magis consentiat, quam discrepet a verbis illis, quibus in Mario laudatur Caesar, quae delere dubitavimus, una sententia relinquitur, ut Marius scriptus sit post Caesarem. Indicia illa quidem non magna, sed cum magna desint, quamvis invitis nobis parvis acquiescendum est.

Atque si post Caesarem, post Pompeium etiam illae vitae Marii et Pyrrhi constituendae sunt.

In Marii vero vita cpte 29 Metelli vitam se conscripturum esse, promittit, quam utrum scripserit nec ne ab iis, qui huius vitae mentionem faciunt, dubitari solet; sed haec dubitatio praecidenda est; scripsit profecto Plut. Metelli vitam, quamquam nobis nihil nisi titulus servatus, nec notum est, quocum homine Graeco illa coniuncta fuerit. In prooemio enim Thesei Plut. dicit, ea se tempora, quorum historia certis fontibus niteretur, absolvisse. Metellum igitur, cuius vitam scribendam sibi imposuerat, cum Theseum scriberet, iam confecerat, neque ulla idonea causa est, cur in suspenso haereamus, num hanc quoque, cum plures post Marium scripserit, vitis parallelis ingesserit; immo proximam hanc Mario fuisse contendi potest.

Proximum est, ut de uno illo iugo vitarum Solonis et Publicolae, quod ex altera parte superest videamus. Hoc certum est ante Alcibiadem et Coriolanum conscriptum esse [cf. Cor. 33 *Ποπλικόλας μὲν οὖν ἐτεθνήκει πρότερον ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γεγραμμένοις ἱστορήκαμεν.*] nec inter mythistoricas ullo modo poni potest. Sed quae sunt harum vitarum tempora, nihil habent, quod cum aliis a Plutarcho conscriptis vitis comparari possit. Hoc unum apertum, alteri parti eas tradendas esse. At vero unum argumentum addi potest, quod quamquam non post certas quasdam alias vitas Solonem et Publicolam editos esse demonstrat, tamen, quo fere loco ponendi sint, docere potest. Plutarchi enim est, omnes vitas versibus quibusdam ex poetis sumptis perspergere ut et verbis accedat sonus et placitis suis ac praeceptis lepor quidam oratius. Hoc a Platone quasi hereditate accepit, cuius fuit discipulus studiosisimus. Hunc igitur in modum ‚musaeo contingens cuncta lepore' usus est Homericis carminibus [cf. Comp. Arist. et Cat. 3. Fab. 19. Marc. 1. Dio 18. Cor. 22. 32. Aem. 34. Demosth. 10. Pyrrh. 13. 23. Phoc. 2. Comp. Sull. et Lys. 1. Aut. 10.

25. Cleom. 9. 34. Ages. 5. Pomp. 29. 72. Thes. 2. 5. Nic. 9. Phil. 1. 9.] Pindaro [Them. 8. Marc. 21. Marc. 29. Rom. 28. Nic. 1. Mar. 29.] Archilocho [Mar. 22. Phoc. 7] Simonide [Dio 1. Thes. 10] Aesopo [Crass. 32] Aeschylo [Them. 14. Arist. 3. Pomp. 1. Thes. 1] Sophocle [Ag. 1. Alex. 7. Phoc. 1. Demetr. 45. Ant. 24. Artax. 28] Euripide [Arist. 4. Fab. 17. Marc. 21. Comp. Pel. et Marc. 3. Pyrrh. 8. 14. Cim. 4. Comp. Nic. et Cr. 4. Cato mai. 52] Jone [Demosth. 3] comicis [Demetr. 12. Pomp. 43. Comp. Nic. et Crass. 3. Phil. 11] aliisque. In vita vero Solonis huius carminibus fonte maxime usus est; quae cum sententiis de vita hominum et moribus refertae essent, mirum est, quod numquam praeterea — quantum equidem scio — ex his ad condiendam orationem hausit, quod tam mirum videtur, ut inde concludam postremis vitis inserendum esse Solonem. Nam si priore tempore Solonem scripsisset carminibusque Solonis iam antea operam dedisset, profecto aliis quoque in vitis ad sententiam ornandam Solonis carmina adhibuisset. Arbitror equidem igitur sero ad Solonem et Publicolam eum descendisse, et has vitas ei causam fuisse, cur, cum primum ad tempora fabulosa accedere noluisset, [cf. Thes. 1], tamen Lycurgi vitam et Numae sibi iniungeret, per quas deinceps ad Romuli et Thesei tempora delapsus haec quoque scribendo illustrare suscepit.

Reliquum est, ut de tertia et quarta parte vitarum parallelarum disseramus, quae earum quas habemus octo vitas quattuor libris complexae sunt. Atque hoc quidem iam satis demonstratum est, et illas binas bigas, quibus Lycurgus et Numa et Theseus atque Romulus continebatur et illum librum qui de Demetrio et Antonio conscriptus est, alteri parti postponenda esse. Quare quo iure tertiam et quartam partem vitarum esse dixerimus, in occulto non est, hoc vero integrum, num Alcibiades et Coriolanus his addendi sint, et quinam ordo inter has octo vitas faciendus sit.

Atque in Demetrii cpte 1 Plut. τῶν δὲ κεχρημένων ait, ἀσκεπτότερον αὐτοῖς καὶ γεγονότων ἐν ἐξουσίαις καὶ πράγμασι μεγάλοις ἐπιφανῶν εἰς κακίαν οὐ χεῖρον ἴσως ἐστι συζυγίαν μίαν ἢ δύο παρεμβαλεῖν εἰς τὰ παραδείγματα τῶν βίων. Promittit igitur, fortasse se alterum iugum eiusdem argumenti conscripturum esse ac Demetrius fuerit et Antonius; atque si quaeramus, num inter eas, quae exstant, inveniantur tales bigae in quas hoc Plutarchi promissum cadat, animo occurrit Alcibiadis et Coriolani vita de quibus quid iudicaverit Plut., declarant verba Coriol. 1. ὁ δὲ αὐτὸς ἀνὴρ ἐμαρτύρησε καὶ τοῖς τὴν φύσιν ἡγουμένοις ἐὰν οὖσα γενναία καὶ ἀγαθὴ παιδίας ἐνδεὴς γίγνηται πολλὰ τοῖς χρηστοῖς ὁμοῦ φαῦλα συναποτίκτειν, ὥσπερ εὐγενῆ χώραν ἐν γεωργίᾳ θεραπείας μὴ τυχοῦσαν et Comp. Alcib. et Cor. 2: . . . . . ὁ δὲ Ἀλκιβιάδης πανοῦργος ἐν πολιτείᾳ καὶ ἀναληθής [cf. Alc. 6. 23. Cor. 2. 5]. Videtur igitur Coriolani et Alcibiadis vita excepisse Antonium, quod re vera factum esse luce clarius est, si comparamus Alc. 16 et Ant. 69. In Alcib. enim brevissime narratur, Alcibiadem a Timone misanthropo salutatum esse, cum ille hunc magnam ceteris pestem inlaturum esse arbitraretur, in Antonio vero Plut. dicit, Antonium quondam vitam degisse similem Timonis illius, tum vero longa narratione explicat, qui fuerit et unde oriundus Timo, quae eius philosophia, quaeque vita; denique idem illud, quod in Alcibiade de Timone legeramus, paullo accuratius hic in Antonio describit. Quae res cum in Antonio multo minus suo loco sit, quam in Alcibiade, cumque in Alcib. non exponatur, qui fuerit Timon, in Antonio diligentissime explanetur, pro explorato habendum est, Antonium ante Alcibiadem scriptum esse. — Huc accedit, quod Coriolanum post Marium, quem in extremis ponendum esse suspicati sumus, scriptum esse demonstrari potest. In Marii enim cpte 1 et Cor. 11 de nominum propriorum Romanorum origine et vi anquiritur. Melius vero et prudentius haec

quaestio in Coriolano absolvitur, post quam peiorem illam tractationem admissam esse, is tantum putabit, qui in dies magis dedoceri aut imprudentior fieri solet. Accedit, quod post Pompeium et Agesilaum Alcibiadis vita edita videtur; nam in Ages. 23 Plut.: *τῆς ἐν Μαντινείᾳ* ait *μάχης γενομένης ἣν Θουκυδίδης γέγραφε*. hoc vero is non dicet, qui ipse de pugna illa Mantinensi scripserit. In Alcib. autem cpte 15 pugna haec commemoratur; fuerit igitur Alcibiades non ante Agesilaum compositus. Alia praeterea argumenta addi possunt. Potest comprobari, Alcibiadem non statim post Niciam et Crassum aut post Pelopidam et Aristidem prodiisse [cf. Alc. 4. Pel. 29. — Comp. Alc. et Cor. 3. Comp. Arist. et Cat. 2] potest ostendi, post Lysandrum, longo intervallo interiecto Alcibiadem conscriptum esse [cf. Alc. 16. Lys. 19. — Alc. 35. Lys. 5]. Sed quid opus pluribus? Nec longioribus argumentis in vitis Demetrii et Antonii utendum est, quas tamen multo post Aristidem et Catonem Cens. compositas esse apparet, cum dictum quoddam Catonis de amore [cf. Cat. mai. 9] Plutarchus in Antonio [cf. 66 *ὅπερ τις παίζων εἶπε*] ab illo editum esse oblitus esset, quas post Brutum [cf. Ant. 69. Brut. 50. — Ant. 10. Brut. 23] quas post Pyrrhum et Marium exiisse, multae res declarant [cf. Demetr. 25. Pyrrh. 4. — Demetr. 37. Pyrrh. 4. — Dem. 40. Pyrrh. 7. — Dem. 41. Pyrrh. 7/8. — Demetr. 43. Pyrrh. 10. — Dem. 44. Pyrrh. 10. Demetr. 46. Pyrrh. 12. -- Demetr. 36. Pyrrh. 6. 7]. Transeamus iam ad unam illam quaestionem quae superest utrum tertiam partem assignemus vitis Lycurgi atque Numae et Thesei Romulique, et quartam Demetrio, Antonio, Coriolano, Alcibiadi, an contra; quam rem in dubio relinquendam esse puto. Utrumque enim fieri potuit, aut ut primum omnes, quorum historia certis fontibus tradita et propagata esset, absolveret, deinde in fine omnium admisceret mythorum memoriam, aut ut primum omnes pertractaret, quorum virtus aliorum virtutem excitare posset,

non minus eos quorum historia certa auctoritate firmata esset, quam quorum vitas fabularum caligo involvisset ant genuisset, deinde vero eos subiceret, quos nonnunquam virtutem repudiasse et dignitati suae defuisse videret. Nec alteri huic sententiae Plut. verba in Thes. 1 repugnant, ut iam supra dictum est. Sed si recte coniecimus, per Solonem et Publicolam ad Lycurgum et Numam pervenisse Plutarchum, sequitur, ut Lycurgi, Numae, Thesei Romulique vitae, nullis aliis interiectis excipiant Publicolam, Antonius vero et Demetrius et Coriolanus et Alcibiades agmen totum claudant; cui sententiae fortasse aliquid probabilitatis adicitur, cum in Cor. vita Plut. iam rebus ipsis destitutus sit, quintamque fere partem rebus, quae non ad Coriolanum pertinent, compleverit; cumque in Numa 8. de Alcib. quaedam proferantur, quae in vita Alcib. non legantur — statuam eius et Pythagorae quondam a Romanis oraculi iussu dedicatas esse — cumque in Lyc. 16 idem de nutrice et paedagogo Alcib. tradatur quod in vita Alc. 1. legimus — nam supervacanea haec sane in vita Lycurgi si paullo ante Alcibiades compositus fuit — denique cum accuratius in vita Romuli [21], brevius in vita Antonii [12] de Lupercalibus disputetur. Sed quomodocunque res se habet, certe in extremis hae vitae statuendae sunt.

Jamque ad finem totius disputationis pervenimus, ordinemque quendam excussimus, qui ab eo, quo codices et editiones et catalogus ille, qui Lampriae falso nomine notatur, utuntur, plane diversus, nec magis ei, quem Lionius sibi invenisse videbatur similis est. Hoc vero nemo mirabitur; nam is ordo, in quem editores redegerunt Plut. vitas veteribus testimoniis non nititur, atque Lionii errores innumeri sunt, nec vero codicum et catologi illius ordo quicquam auctoritatis habet; Neque enim potuit, ne iis quidem temporibus, quae Plut. aetatem mox secuta sunt verus ordo notus fuisse, cum singuli libri, ut demonstravimus separatim editi essent. Atque si ea pro-

banda sunt quae nos ‚studio disposta fideli' exquisivimus, deleamus oportet praeterea verba illa ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται eorumque similia in Cat. minor. 1. Cleom. 24. Cat. mai. 12. Cat. min. 54. et 73. Pyrrh. 8. Tib. Gr. 21. C. Gr. 10. —

Totius vero huius quaestiunculae usus ad Plutarchi vitam et rationem scribendi fontesque investigandos, in quibus adhuc vividum et ardens est studium, redundare videtur. Illud non egimus, ut alium in Plut. editionibus ordinem vitarum faciendum esse demonstraremus, neque enim omnia in tali quaestione aeque certa esse possunt, nec si certa essent, ordine editionum mutato, quicquam assequeremur. Sed hoc postulandum, ne quis in fontibus exquirendis, ut fecit Peterus a Coriolano proficiscatur, et eandem rationem, qua in hoc vita componenda usus est Plut. in ceteras vitas temere transferendam putet. Nam a prima omnium vitarum tali in re proficiscendum est, non ab ultima.

Errata:

P. 8. v. 8. ab im. legend. est: Sed longum est, omnia cet.
P. 14. v. 13. legend. est: eam legerant cet.
P. 20. v. 8. et 11. legend. est: Demetrii
P. 24. v. 11. ab im. legend. est: verbis Nic. 11: οὐκ κ. τ. λ.
P. 25. v. 8. legend. est: Ῥηγίῳ
P. 26. v. 1. ab im. legend. est: δὲ

VITA.

Carolus Theodorus Michaelis natus sum Berolini a. d. VI. Jd. Maias a. h. s. LII. patre Gustavo, qui lectoris munere in universitate Friderica Guilelma fungitur, matre Henrietta e gente Lobeck, quam ante hos tredecim annos morte mihi ereptam lugeo. Fide initiatus sum ev.. Primis vero litterarum elementis institutus in schola reali Dorotheenstadtensi et gymnasio Francogallico, duodecimum annum agens in gymnasium Fridericianum Berol. transductus sum. A. h. s. LXXI maturitatis testimonium adeptus in univers. Fridericam Guilelmam migravi, ut philologiae operam darem, cuius cum civis per septies sex menses essem, lectionibus interfui v. v. cll. Hauptii, Kirchhoffii, Huebneri, Mommseni, Curtii, Heydemanni, Muellenhoffii, Droysenii, Ebelii, Weberi, Harmsii, Zelleri, Bonitzii, Helmholtzii, Kummeri, Thomei, Foersteri, Bertramii, Schoellii, patris. His viris cum omnibus maximas gratias ago, tum Kirchhoffio, Huebnero, Curtio, Heydemanno, Schoellio, Bonitzio, qui mihi aditum ad exercitationes philologicas, archaeologicas, philosophicas permiserunt. Seminarii regii philologici per ter sex menses sodalis ordinar. fui ibique Kirchhoffi, Hauptii, Huebneri disciplina eruditum me esse gaudeo.

THESES:

I. Plutarchum omnes vitas parallelas plus LX annos natum conscripsisse.

II. Plutarchi Herculem ante vitas parallelas scriptum esse.

III. Plut. Agis 3. ὄγδοον ferri non posse, scribendumque esse ἕβδομον nisi Plut. errasse malis.

IV. Plut. Ages. 40. scribendum esse ἕκτος pro πέμπτος aut dicendum, Plutarchum errasse.

V. Hallierum (in libro d. Lucretii carm. ex Empedocle adumbr. p. 5) falso Lucretium ἐκλεκτικόν nominasse.

VI. Plutarchum in vita Cleom. et Arati Polybio fonte, quoad fieri potuit, usum esse.

VII. Tempora verbi Latini esse viginti et unum.

VIII. Pausiam pictorem non in lacunaribus, sed lacunaria ipsa pinxisse.

IX. Verba Plinii in hist. nat. XXXV, 137: ‚nam Socrates cet.' de pictore Socrate, non de pictura dicta esse.

X. Rectum esse Nicomachi Geraseni theorema (Isağ. arithm. I, 14—16; cf. Eucl. Elem. IX, 39) eos tantum numeros perfectos (τελείους) esse, qui hunc in modum conformati sint:

$$(1+2+2^2+2^3+\ldots+2^n)\,2^n$$

si summa illa efficiat numerum primum.

Typis expressit G. Bernstein Berolini.